

S. b. 264

Rüfle : Sch.

J. VI, 887

~~III. 10~~ ~~IV. 10~~

K

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
ORIGINE ESSENTIARVM
QVAM
P R A E S I D E
DN. CHRISTIANO WEBERO
PHILOSOPHIAE PROFESSORE EXTRAORDINARIO
D. IVNII A. MDCCLII
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
S V B M I T T I T
CHRISTIANVS GODOFREDVS BRETH
SCHMIDEBERGA - SILESIUS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

//.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
ORIGINE ESSENTIARVM.



§. 1.

udum inter Philosophos de *Essentiarum origine* disputatum est. *Scholastici* essentias rerum necessarias esse iudicarunt, et in eo a vero non abfuerunt. Sed vbi de principio *realitatis* essentiarum certi quid statuendum erat, in varias iterum abierunt sententias. Essentialia realia esse concederunt quidem; multi autem illa a DEO prorsus independentia esse arbitrati sunt, propterea quod non repugnantiam praedicatorum essentialium (v. c. animalitatis et rationalitatis in homine, trianguli et aequalitatis laterum in triangulo aequilatero), et veritates aeternas (v. c. bis duo sunt quatuor, totum aequale est omnibus partibus suis simul sumtis), sine distincta DEI aut altioris cuiusdam principii cogitatione intelligere iamiam possent. Factum hinc, ut principium *realitatis* effen-

Sententiae
Philosopho-
rum de ori-
gine essentia-
rum.

4 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

essentiarum a D E O distinctum, eidemque coaeternum et connecessarium admiserint, atque vel in essentiis ipsis idem reponere, adeoque pro singulis essentiis multiplicare, vel extra essentias et D E V M aliud, nescio quod, quaerere coacti sint, ex quo necessitas et aeternitas essentiarum pendeant. Quam quidem sententiam recentiores, utpote D E O indignam et veritati aduersam ex Philosophia expulerunt. Conf. *Bilfingeri* dilucidationes philosophicae §. 19.

§. 2.

Continuatio.

Falleretur autem, qui, reiecta essentiarum a D E O independentia, sententiam exspectaret, cui reliqui Philosophi subscriberent omnes. Dic, essentiae rerum a D E O dependent: responde, si placet, quo modo? Concedes sane, animum in varias adhuc abire posse sententias. Abierunt et Philosophi. Quidam enim ab essentia D E I; alii ab eius potentia; alii ab intellectu diuino; pars a sapientia; reliqui periculofissime cum *Cartesio* et *Poireto* a libera D E I voluntate contendenterunt essentias rerum esse deriuandas. Vide Cel. *Canzium* ontolog. problem. §. 14.

§. 3.

Causa diffen-
sus indicatur.

Mirabuntur sane tantam Philosophorum discordiam, quos fugit illius causa. Sed ubi sensum quaestio-
nis inquirent, et dissensionis causam reperient,
et mirari desinent sententiarum pugnam. Videbunt
enim, qui propriis oculis videre confuescunt, quaestio-
nem neque quoad subiectum, neque quoad praedicatum
sufficienter a quounque fuisse determinatam, sed vagam
saepenumero *Essentiae*, vagam quoque *originis notionem* re-
lictam fuisse. Quis autem, obsecro, ex vagis notioni-
bus determinatam inferre valet conclusionem?

§. 4.

§. 4.

Quum itaque veram de essentiarum origine sententiam inquirere, eandemque sufficienter demonstrare nobis proposuimus; ante omnia distinctas subiecti et praedicati notiones euoluere nos oportet. Quo facto patet, circa subiectum essentiam *physicam* a *metaphysica*; et circa praedicatum principium *fiendi* a principio *cognoscendi* et *essendi* distinguenda esse. His distinctis, ita existimo, res erit in vado.

Modus
eruendi ve-
ram senten-
tiā.

SCHOL. Operae ne pretium sit, hac de re disputationem instituere, eiusque veritatem subtilius eruere, multi forsitan dubitabunt. Hos autem alter iudicaturos credimus, cum nexus huius dogmatis cum aliis, tam philosophicis, quam theologicis perspexerint. Cohæret dogma de origine essentiarum cum moralitate actionum obiectiva, fundamento iurisprudentiae naturalis; cum doctrina de origine et permissione mali; cum summa DEI benignitate; cum fiducia in DEVM ponenda; cum imputatione malarum actionum, et permulsum alii, quod vberius patebit ex sequenti tractatione. Cohæret etiam cum pluribus doctrinæ fæcilioris articulis, quos tamen singulos ideo non enumeramus, ne falcam in alienam messem immittere videamur. Conf. Per III L. B. de Wolff in Annotationibus metaph. §. 18.

§. 5.

Essentia entis in genere est illud in ente, quod ratione metaphysicam reliquorum omnium, quae enti competunt, continet.

Essentia entis
quid?

SCHOL. Exhibemus hic essentiae entis notionem generalem, cui subsequens tractatio maximam partem superfruenda est. Vtile igitur prius ac necessarium erit, paulo vberius eandem illustrare, atque conuenientiam illius cum aliorum Philosopherum definitionibus commonistrare. Ad tria momenta reuocabimus, quae illustrationis gratia adponenda iudicamus, propterea quod tres potissimum in notione secerni possunt characteres. Primo dicimus essentiam in genere esse *aliquid in ente*. Vbius loquendi

A 3 hunc

6 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

hunc characterem necessario requirit. Noti sunt canones: omne ens habet essentiam, it. essentiae rerum sunt incommunicabiles, e' quibus, vt veris suppositis, facile patet, terminum essentia eiusmodi quid denotare apud Philosophos, quod in ente ipso est. Immo si non admittere quis veler hunc characterem, admittere deberet, DEV M esse essentiam omnium entium, quippe qui certe rationem metaphysicam omnium entium continet. Fores itaque omnia entia adfectiones DEI; et sic prolaberemur, si non in totum, sicut ex parte, in Spinozismum, errorem crassissimum dudumque explosum. Non itaque sine ratione hunc characterem adpotuimus. Deinde dicimus, essentiam esse eiusmodi quid in ente, quod rationem *metaphysicam reliquorum* continet. Huius characteris ope essentiam ab attributis entis distinguimus. Nimirum constat rationem duplicitis esse generis. Determinat scilicet vel cognitionem de ente, vel aliquid in ente ipso. Prior *ratio cognoscendi, analytica it. logica*; posterior *ratio metaphysica s. determinans in specie vocatur*. Ita e. g. principium contradictionis continet rationem cognoscendi reliquas veritates, quia ex illo reliquae veritates cognoscuntur, sed non determinat ipsa entia, de quibus illius ope cognitio adquiritur. Sed vis entis est principium actionum illius, et determinat ipsas actiones, quippe quae per vim entis producuntur. Haec ergo continet rationem metaphysicam s. determinantem actionum entis. Dum itaque essentiam entis rationem metaphysicam reliquorum omnium continere dicimus, eo ipso statuimus, non omne illud in ente, quod rationem quandam reliquorum omnium continet, esse essentiam, nisi ratio, quam continet, sit metaphysica. Alias attributum proprium quodvis foret essentia entis. Est enim aliquid in ente, continet quoque rationem quandam reliquorum omnium, nimirum rationem cognoscendi, quia reliqua omnia ex illo cognosci possunt. Nemo tamen attributa propria ab essentia ipsa non distinguit. Vnde ratio, quam essentia entis continet de reliquis, metaphysica esse debet. Non tamen determinamus, utrum ratio haec sufficiens semper esse debeat, an etiam pro quibusdam affectionibus entis insufficiens tantum in essentia entis deprehendi possit? ultimum enim de modis

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 7

dis entis scimus, quorum ratio sufficiens, si quoad existentiam spectantur, non in sola essentia, sed simul in circumstantiis entis querenda est. Tandem dicimus, essentiam entis continere rationem omnium, quae enti competit, pro quo alii, quae enti insunt. Sed sic definitionem iusto arciorem efficiunt. Dantur enim adfectiones externae, quae enti non insunt, sed competunt; quorum tamen nihilo secius ratio quedam metaphysica in essentia deprehenditur. Patet ergo, nos non sine ratione essentiae notionem formasse ita, prout in *Spho* eandem exhibuimus. Iam dicta exemplo illustrabimus ab homine desumto. Unionem animae rationalis cum corpore organico ex terra desumto essentiam hominis constitutre satius notum est. Sed anima rationalis et corpus organicum ex tellure sunt in homine: continent quoque rationem reliquorum omnium, quae homini competit, non solum cognoscendi, sed etiam determinantem s. metaphysicam, quia omnes operationes reliqua hominis adfectiones exinde concipiuntur et determinantur. Ob id ipsum autem in illis essentia hominis ponitur.

§. 6.

Facile nunc erit consensum nostrae cum aliorum definitionibus de essentia manifestare. Philosophus, qui primo loco nominandus est, Per. Ill. L. B. de Wolffontolog. lat. §. 168. essentiam entis definit per *id*, quod primum de ente concipitur, et in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera vel actu insint, vel inesse possint, atque §. 169. conformitatem huius cum aliorum Philosophorum notione ostendit. Simili modo Summe vener. Schubert Institut. metaph. §. 124. explicuit essentiam. Iam si essentia primum de ente concipitur, debet etiam aliquid esse, quod in ente est: et si in illa ratio continetur, cur cetera vel actu insint, vel inesse possint, ratio haec non potest esse analytica, sed determinans et metaphysica esse debet. Pater hinc notionum conuenientia. Conuenit etiam Ill. Dariesii notio essentiacum nostra, quam in Ele-

convenien-
tia nostrae
cum aliorum
notionibus
ostenditur.

8 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Elementis metaph. §. 15. Philosoph. prim. suppeditat: qui cogitabile ponit, primo loco in illo ponere debet, per quod est illud cogitabile. Et haec est definitio essentiae. Hinc essentia iterum est aliquid in cogitabili, quod rationem metaphysicam reliquorum, quae cogitabili competit, continet. Illud saltim discriminis nostram inter atque ill. Dariesi notionem intercedit, quod nos loquamur de essentia entis, ille vero essentiam cognitabilem (quod commune est de ente et non - ente); explicuerit, adeoque generaliorem notionem suppedauerit.

SCHOL. Patet ex dictis, cur essentia ab aliis conceptus constitutius, conceptus primus adaequatus, forma, ratio formalis, quidditas, formale totius vocetur. Vocatur etiam a quibusdam substantia, it. natura; sed minus accurate. Quamvis enim Scholastici naturam et substantiam cum essentia confuderint, et Francisco Suarez, e Societate Iesu, Metaphysicorum Patriarcha dictus, essentiam eandem esse cum natura rei auctoritate Aristotelis et D. Thomae probet, atque Cartesius, Principiis philosophiae P. I. §. 53. Scholasticorum sententiam retineat; illud tamen ob defectum notionum distinctiarum factum esse ostendit Per. III. L. B. de Wolff l. c. §. 169. Patebit autem ex subsequentibus, quale inter essentiam atque naturam intercedat discrimin.

§. 7.

Essentia entis varia continere debet. Continet enim rationem metaphysicam reliquorum omnium, quae enti competit (§. 5.). E. variorum rationem continet. Nam diuersorum ratio non in perfecte eodem et incomplexo deprehenditur (per vulg. Ontol.): E. essentia debet esse notio complexa, seu varia continere debet. Vocantur haec

1) *Essentia entis varia continere debet.* Continet enim rationem metaphysicam reliquorum omnium, quae enti competit (§. 5.). E. variorum rationem continet. Nam diuersorum ratio non in perfecte eodem et incomplexo deprehenditur (per vulg. Ontol.): E. essentia debet esse notio complexa, seu varia continere debet. Vocantur haec

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 9

haec varia *essentialia s. constitutiva* entis: et quidem *reciproca*, si omnis simul sumta cogitantur; non *reciproca s. communia*, si vnum vel aliquot, non omnia sumuntur. Priora exhibent *conceptum primum adaequatum*: posteriora *conceptum primum sed inadaequatum*.

SCHOL. Ita *essentia hominis* complectitur animam rationalem et corpus organicum priori iunctum, tanquam partes *essentiales s. constitutivas*. Similiter anima rationalis est ens clare atque distincte sibi aliiquid representans secundum corpus organicum. Huius *essentialia* sunt 1) Ens 2) clare atque distincte representans 3) secundum corpus organicum.

II) *Hinc essentiam cuiusdam expliciturus, essentialia s. constitutiva illius indicare debet.* Quod duplaci modo fieri potest. Vel enim singula *essentialia* enumerare potest, vel notionem communem, ex qua singula deduci possunt, suppeditare. Vtroque casu *essentiam explicuisse* dicitur. *Hinc tam complexus essentialium, quam conceptus primus, ex quo *essentialia* deduci possunt, essentia salutatur.*

SCHOL. Ultima propositio non est nullius momenti. Scripta Philosophorum perlustrantes inuenient, *essentialiam* vnius eiusdemque rei a variis saepenumero varie explicitam fusse. Videatur hinc Philosophi in explicanda cuiusdam rei *essentia discordes*, vel, quod peius est; vni rei plures tribuere *essentialias*. Remoueri potest hoc dubium ope ultimae propositionis. Quanquam enim non negandum sit, interdum a vero aberrasse Philosophos *essentialium rei determinatores*; id tamen semper factum esse, vbi discordes videntur, merito negamus. Inuenimus enim saepenumero, hunc singula *essentialia* rei *sigillatim enumeratas*; alium *conceptum* saltem *primum* suppeditasse, ex qua singula *essentialia* deduci possunt; hincque verbis tantum, non re ipsa discrepare. Rem exemplis illustrabimus. Per Ill. L. B. de Wolff in Compendio Metaph. §. 1069, *essentialiam DEI explicat*, quod sit *ens omnes possibilis mundos distinctissime sibi simul representans*. Contra hanc definitionem alios salivam mouisse notum est.

B

Aliam

10 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Aliam memoriae mandauerant effentiae DEI explicationem, nimirum quod sit *substantia tribus infinitis personis subsistens*. Sed sufficienti ingenio metaphysico destituti notiones has conciliare non valebant, ut in re ipsa conueniant. Hinc, seposito veritatis amore, egregiam Per-ill. Wolffii noti. nem odiosis one-rarant consequentiis, non attentes ad demonstrationem, per quam notio inuenta erat. Teneendum autem, notionem hanc exhibere primum conceptum formalem, ex quo essentia omnia de luci possunt a principiorum gnaro, quod re ipsa etiam mouit Per-ill. Wolffius. alteram autem singula exhibere constituta*ta s. essentia* DEI hincque utramque esse essentiae DEI explicationem. Dabimus aliud exemplum rei aliquantisper difficultis, magni tamen momenti, illustrandae gratia. Essentiam libertatis animae nostrae Per-ill. L. B. de Wolff compend, metaph. §. 519. explicat per facultatem animae ex pluribus possibilibus sponte sumendi, quod maxime placet. Hinc tria requirit ad libertatem constitutiva: contingentiam, spontaneitatem et intelligentiam actuum. Alii libertatem in spontaneitate intellectuali ponunt. Videntur hinc Philosophi in explicanda effentia libertatis dissentire. Sed videntur saltim, reuera non dissentire illi enim singula libertatis constitutiva sigillatim enuerat; hi spontaneitatem stricte sumunt pro arbitrio: quo casu contingentiam actuum iam involuit. Exhibent itaque conceptum primum, ex quo essentia singula deduci possunt.

§. 8.

III) *Effentia entis reliqua omnia, quae enī competunt, determinat, ipsa vero a nullo alio in ente determinatur.* Continet enim rationem metaphysicam reliquorum omnium, quae enti competunt (§. 5.). Ratio metaphysica autem de ente ipso aliquid determinat (§. cit. Schol.). Ergo effentia entis reliqua omnia, quae enti competunt, determinat. Ponamus autem essentiam ab aliquo, quod in ente est, determinari: ergo istud contineret rationem metaphysicam de effentia; consequenter effentia foret hoc

DE ORIGINE ESSENTIARVM. II

hoc modo ratiocinatum alterius. Sed impossibile est, vt idem simul sit ratio metaphysica alterius, et eius rationatum (per princ. contrad.). Hinc essentia a nullo alio in ente determinatur.

SCHOL. Cognosci quidem potest essentia ex alio in ente, nimirum ex attributis, adeoque *logice* in cogitationibus nostris, seu, vt alii loquuntur, in signo rationis essentiae notio determinari potest per notionem attributi proprii, non autem *metaphysice* s. in re ipfa essentia per attributum proprium determinatur, sed potius attributum in re ipfa per essentiam determinatur. Hinc attributum proprium continet quidem rationem cognoscendi essentiae, non autem metaphysicam, s. determinantem. Essentia autem tam rationem cognoscendi, quam determinantem de attributis continet.

§. 9.

IV) *Essentialia entis non per se inuicem determinantur.* Etenim essentialia simul sumta essentiam entis constituant (*§. 7. prop. I.*): haec autem est primum, quod de ente concipiatur (*§. 6.*): E. essentialia simul sumta primum de ente concipiuntur. Nam, si ponas unum per alterum determinari, unum altero prius cogitari deberet; consequenter simul sumta non possent esse primum, quod de ente concipiatur: quod cum sit absurdum, patet, essentialia entis non per se inuicem determinari.

Essentialia
non per se
inuicem de-
terminantur.

COR. 1. Hinc unum essentialia ex altero non potest concipi atque deduci e. g. essentialia libertatis sunt contingentia, spontaneitas et intelligentia actuum. Sed unum alterum non determinat, nec potest ex uno alterum concipi et deduci.

COR. 2. Porro unum essentialium alterum non involuit. Hinc non sunt sibi inuicem subordinata, sed coordinatas ideas constituunt.

§. 10.

V) *Essentialia entis sunt ideae disparatae.* Sunt enim *essentialia* *funt ideae* *ideae coordinatae* (*§. 9. Cor. 2.*). *Ideae coordinatae au-* *disparatae.*
B 2 tem

12 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tem vel sunt disparatae, vel oppositae, h. e. vel possunt adhuc in vno subiecto simul esse, vel non (per Log.). Ergo essentialia entis vel disparatae, vel oppositae ideae esse debent. Sed oppositae esse nequeunt, propterea, quod simul sumta totam essentiam constituant, adeoque simul in vno subiecto esse possunt (§. 7. prop. l.). E. debent esse ideae disparatae.

COROLL. Absonum itaque est essentiam enti tribuere, cuius constitutio sibi contradicunt.

SCHOL. Ita errarunt veteres nonnulli, qui DEVM vt animam mundi fixisse dicuntur ita, vt DEV S et mundus sit magnum aliquid animal, et mundus DEO sit, quod corpus animae. Conf. B. Bilfinger in dilucidat. philos. §. 421. Eandem censuram merentur Newtoniani, qui spatium infinitum sensorum DEI esse putarunt, et deinde etiam pro attributo diuino habuerunt. Fingunt enim sibi essentiam de DEO, cuius essentialia contradictionem inoluunt.

§. 11.

VI) Non datur ratio intrinseca, cur essentialia enti insint. Etenim essentialia a nullo alio in ente determinantur (§. 8.), nec unum alterum determinat (§. 9.): E. essentialia neque in alio quodam, quod praeter essentialiam enti competit, (adfectionibus), neque unum essentialium in altero rationem habent, cur enti insint; consequenter plane non datur ratio intrinseca, cur essentialia enti competant.

SCHOL. Loquimur de ratione, ob quam essentialia enti insint, adeoque de ratione determinante s. metaphysica; non autem de analytica s. logica. Hanc enim esse in attributis ostendimus iam (§ 8 Schol.). Porro notandum, sermoenam esse tantum de ratione *intrinseca*, non autem de *extrinseca*. Hanc dari posse mox ostendemus. Non itaque hac propositione illorum Philosophorum sententiam adprobamus, qui essentiam rationem metaphysicam plane nullam habere statuunt,

§. 12.

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 13

§. 12.

VII) *Ratio, cur essentialia simul enti inesse possint, in Ratio comp̄isit⁹ essentialib⁹ deprehenditur.* Essentialia enim simul enti inesse possunt, quia non sunt opposita, sed disparata (§. 10.): hinc quia vnum essentialium non inuoluit alte possibilis negationem (per def. opposit⁹). Ex quo igitur concipi potest, quod essentialium vnum alterius negationem non inuoluat, illud etiam est ratio, ob quam essentialia enti simul inesse possint (per def. rationis). Iam hoc, quod essentialium vnum negationem alterius non inuolvat, ab essentialibus ipsis dependet, nimurum ex illorum notionibus concipiendum est: E. *ratio, cur essentialia simul enti inesse possint, in ipsi⁹ essentialib⁹ deprehenditur.*

COR. 1. Hinc essentialia habent rationem comp̄osibilitatis in se ipsis.

COR. 2. Si essentialia entis in totum essent diuersa, tunc etiam non possent simul enti inesse, sed forent opposita. Hinc *ratio comp̄osibilitatis essentialium in eo ponenda est, quod non sint in totum diuersa; adeoque in eo, quod habeant notionem quādam communem.*

SCHOL. Si itaque essentias rerum complete cognoscere possemus, tunc certe etiam notionem illam, quam essentialia communem habent, perspicere atque detegere possemus. Sed ob limites intellectus nostri raro adeo profundam essentialiae cognitionem adquirere nobis datur. Cuius quidem ratio exinde patet specialis: communis notio per abstractionem inuenienda est. Haec requirit, ut ideas distinctas de inferioribus formemus, illas iū vicem comparemus, quo conuenientia et disconuenientia adpareat, atque missis iis, quibus disconueniunt inferiora, communia retineamus (per Log.). At non semper adparet statim conuenientia quādam inferiorum, etiam si ideas distinctas illorum formauerimus: hinc hoc casu necesse est, ut notas ingredientes idearum iterum resoluamus in suos characte-

B 3

res

14 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

res, hocque negotiorum tamdiu continuemus, donec in characteribus euolutis aliqua adpareat conuenientia, quae deinde fit notio communis inferiorum, a quibus abstractio facta est. Hinc saepe necesse est, ut analysin idearum per plures gradus instituamus, antequam idea communis adpareret. Idem accidit notionem essentialium entis cuiusdam communem inveniuntur. Sed quoniam cognitio nostra ultimata in eiusmodi notis resolutur, de quibus non nisi ideas confusas habemus, atque numerus terminorum et vocum finitus saepe impedimento est, quo minus ideas mente conceperas exprimere queamus; hinc fit, ut analysin idearum non continuare queamus, vsque dum ad incomplexas ideas veniamus, sed in ideis complexis subsistere debemus. Qua re etiam fieri potest, ut in analysi essentialium subsistere cogamur, antequam ad illos characteres veniamus, quos essentialia communes habent. Hoc casu itaque notiōnem essentialium communem perspicere nobis non datur. Ab ignorantia sua autem desumeret argumentum, qui ideo negaret essentialia habere notiōnem quandam communem, quia ipse nullam conuenientiam perspicere potest, quod per demonstrationem nostram, qua propositionem a priore corroborauimus, refellitur. Iam etiam exemplo illustrabimus propositionem a priore demonstratam. Si sumis *sensationem*, illa est cogitatio praesens. Habet itaque duo constitutiva s. essentialia 1) *cogitationem* 2) *rem praesentem*. Sed ubi hic est notio communis? Invenitur ex analysi idearum. *Praefens* nobis est, quod in nos agit: *agit in nos*, quod mutations in nobis producit: *producit in nobis mutationes*, quod variationem internorum infert. Euolve nunc cogitationis ideam. *Cogitatio* est perceptio cum appercepcione coniuncta: *perceptio* est repraesentatio: *repraesentatio*, expressio variorum alicuius in aliqua re. Expressio variorum alicuius in aliqua re autem variationem internorum quoque infert. Enī communem essentialium notiōnem; quod variationem internorum infert. Pater autem ex hoc exemplo difficultem esse viam inveniendi communem essentialium notiōnem: hinc non mirum, quod saepissime nos fugat illa notio, utrū essentiam rei cognoscamus.

§. 13.

§. 13.

Hactenus essentiam entis in genere considerauimus. Restat, ut nunc specialiter notionem determinemus. Videlicet deamus igitur, quae in generali notione adhuc determinari possint? Essentia erat illud in ente, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium, quae enti competent, continet. Ens autem vel est ens per se sive substantia tale, vel non per se tale. Si prius; oritur *essentia entis in specie*; si posterius; *essentia analogie talis*.

Notio essentiae specialiter determinatur,

SCHOL. Nimurum ens late pro omni possibili sumitur, atque tunc, sicuti possibile, dividitur in substantiae, adiectivae et relativae tale. Cum autem possibilia adiectivae talia sint determinationes intrinsecæ; relativæ talia, determinationes extrinsecæ substantiae talium. Hinc stricte possibile substantia tale vocatur ens; adiectivae tale et relativae tale autem tunc dicuntur determinationes entis intrinsecæ et extrinsecæ. Ita etiam essentia stricte de ente substantiae tali dicitur, et est illud in ente substantiae tali, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium continet. Atque tunc adiectivae talia, si consequentia sunt, vocantur *affectiones internæ*; relativae talia, *affectiones externæ* entis strictæ dicti. Quoniam autem tam in ente adiectivæ, quam relativæ tali iterum primum aliquod cogitari potest, quod reliquorum omnium, quae illis competent, rationem continet metaphysicam: hinc etiam illis entibus analogice essentia tribuitur. Ita e.g. eritudini, virtuti, similitudini, avaritiae, honori etc. essentia tribuitur, analogice quidem,

§. 14.

Essentiam in specie sic dictam quod attinet, illa duplicitis generis adhuc esse potest. Continet rationem metaphysicam reliquorum omnium, quae enti stricte dicto competent, Iam ens illud vel est possibile tantum, vel etiam existens: Priori casu oritur *essentia metaphysica*; posteriori, *essentia physica*. Essentia metaphysica ergo est primum in ente possibili, quod rationem metaphysicam reliquo-

metaphysica et physica quid?

16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

reliquorum omnium continet: essentia physica autem est primum in ente existente, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium continet. Qui de essentia simpliciter loquuntur, metaphysicam subintelligunt.

SCHOL. Divisionis essentiae in metaphysicam et physicam auctor est Cel. Canzius ontolog. polem. §. 47. et 48. Vsus illius insignis est in controversiis, de necessitate et origine essentiarum motis decidendis. Quem quidem in finem eandem adducere debuimus. Studio tamen generalem essentiae notionem (§. V.) praemissimus, atque, conformitate illius cum aliorum notionibus ostensa (§. VI.), speciales has regulis methodi convenienter deduximus. Ita enim Leetores Philosophi ad evolutionem attenti statim perspiciunt, quod essentia in metaphysicam et physicam diuidi possit. Videamus nunc, quid de speciebus illis statuendum sit?

§. 15.

Essentia metaphysica est possibilis interna entis; physica autem existentia illius. Essentia enim metaphysica est primum in ente possibili, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium continet; physica autem primum in ente existente, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium continet (§. 14.). Iam in ente possibili nihil prius possibilitate interna eius, et in ente existente, qua tali, nihil prius, quam existentia illius cogitari potest. E. essentia metaphysica est possibilis interna entis; physica autem existentia entis.

SCHOL. Ita si hominem cogitas, essentia illius consistit in anima rationali atque corpore organico ex terra defumto. Animalia rationalis enim et corpus organicum ex terra sunt ea, quae primum in homine cogitari debene, et quae reliquorum omnium, quae homini competit, (sive ut possibilia, sive veracitaria) rationem continent. Si itaque hominem ut possibilem cogitis, sit possibilis, quia non repugnat animam rationalem uniuersi cum corpore organico ex terra defumto. Haec possibilis interna

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 17

Interna igitur est essentia metaphysica hominis. Quodsi vero hominem ut existentem consideras, sit existens, si anima rationalis actu cum corpore organico ex terra vnitur. Vno haec actualis ergo constituit existentiam hominis, et est essentia illius physica.

§. 16.

De essentia metaphysica itaque patent nunc canonnes metaphysicorum:

- I) Per essentiam ens possibile est.
- II) Per essentiam ens accipit realitatem, quidditatem s. esse suum.
- III) Essentiam entis intelligit, qui possibiliter eius intrinsecam agnoscit.
- IV) Essentiam entis intelligimus, quam primum modum, quo fieri potest, intelligimus.
- V) Essentiam entis intelligit, qui entis definitionem geneticam perspicit. Videatur Per-ill. L. B. de Wolff Ontol. lat. §. 153, sqq.

Conscriptaria
de essentia
metaphysica.

COR. Possibile consistit in non-repugnantia idearum. Cum igitur essentia metaphysica sit possibilis entis intrinseca (§. 15): hinc consistit in illa praedicatorum non-repugnantia s. harmonia, quae rem cognituro primo omnium obuerari debet. Quae est definitio cel. Canzii, quam §. 47. l. c. exhibet.

§. 17.

Effentiae rerum metaphysicae sunt absolute necessariae. Absolute necessarium est, quod per se h. e. per ens, quatenus ens est, determinatur. Iam essentia metaphysica consistit in non-repugnantia essentialium (§. 16. Cor. coll. §. 7. prop. 1.). Per quod ergo non-repugnantia essentia-
lum determinatur, per idem etiam determinatur essentia metaphysica. Non-repugnantia autem essentialium per ipsi determinatur essentialia (§. 12.): ergo et essentia meta-
physica per essentialia sua, hinc per se ipsam determinatur; consequenter est absolute necessaria.

Effentiae me-
taphysicae
sunt absolute
necessariae.

C

COR.

18 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

COR. Absolute necessarium est absolute immutabile et aeternum: hinc essentiae rerum metaphysicae sunt absolute immutabiles et aeternae.

§. 18.

Eadem propositio etiam sequenti argumento corroborari poterit: Necessarium etiam dicitur, de quo oppositum non potest praedicari, scilicet cuius oppositum est impossibile: absolute necessarium, de quo oppositum absolute praedicari nequit, scilicet cuius oppositum in se vel absolute impossibile est. Iam essentia metaphysica est possibilis entis interna (§. 15.): hinc oppositum illius est impossibilitas interna, atque proinde absoluta: E. oppositum essentiae metaphysicae entis est absolute impossibile: consequenter ipsa essentia metaphysica absolute necessaria.

Vfus huius
dogmatis
ostenditur.

SCHOL. Patet ergo doctrinam scholasticorum de necessitate essentiarum (puto metaphysicarum), idearum ac in iis contentarum veritatum uniuersitatem, veritati esse contentaneam. Probe notandum est hoc principium. Illo enim ad refutandos errores de essentiarum origine nobis opus est, cetero mox parebit. Ope illius difficultates quoque remouentur, quibus alias premitur doctrina de origine & permissione mali, quod prolixe ostendit Per-III. L. B. de Wolff P. II. Theol. nat. §. 282. seqq. Imo nulla prorsus scientia possibilis foret, nisi essentiae rerum metaphysicae absolute necessariae et immutabiles essent; quod quidem facile ostendi potest. Scientiae inde possibles sunt, quod veritates demonstrari possunt. Demonstrationes definitionibus rerum superstruuntur, haec autem ab essentia rerum desumuntur (sive immediate sive mediate, si attributum proprium continent). Quodsi igitur essentiae rerum metaphysicae non essent necessariae, forent mutabiles: forent ergo et definitiones rerum mutabiles; consequenter oppositum de illis adhuc praedicari posset. Quid inde? etiam propositionum omnium, quae ex definitionibus demonstrantur, oppositum praedicari posset. Nihil adeo certum: demonstratio nulla certa: nulla ergo datur scientia. Idem etiam exinde confirmatur, quia absque necessitate

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 19

cessitate essentiarum non datur certus concludendi modus, quo veritates a priori inueniri possent. Concludimus enim vel a superiori idea ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores, vel ab una inferiori ad alteram inferiorem. Iam pone, essentias esse mutabiles; erant etiam genera et species mutabiles ideaes, quippe quae similitudinem essentiae exprimunt: consequenter non certo a genere ad species, a speciebus ad genus, ab una coispecie ad alteram valerent conclusiones, quippe oppositum semper de illis locum inuenire posset. Nullus itaque concludendi modus foret certus: nulla iterum demonstratio certa: nulla quoque datur scientia. En! quaenam absurdum concedere debeas, si necessitatem essentiarum in dubium vocas.

SCHOL. 2. Mirum hinc utique videri potest, qui fieri potuerit, ut Philosophi alias doctissimi contrariam sententiam admiserint, cum tot absurdum eandem comitentur. Sed hic ea tenenda sunt, quae de consequentiis in Logica docentur, absurdum que ex sententia cuiusdam etiam per legitimam consequentiam deducuntur, non semper praeuisa esse ab auctore sententiarum. Sane saepe alias mutatissententiam suam. Deinde, etiamsi quedam absurdum praeuisa fuerint ab auctore quodam, ob metum tamen, quod maiora cum contraria admittenda essent absurdia sententia, saepe a priore sententia recedere non est ausus. Idem illis accidisse constat, qui doctrinam de necessitate essentiarum impugnabant. Quidam enim cum Poireto veriti sunt, ne hoc dogmate *absoluta rerum omnium necessitas*, hincque factum introducatur, atque *DEO omnis in creando et gubernando mundo libertas auferatur*. Imo putarunt per dogma hoc, ut vocant, ideitisticum, attributa Dei omnia eueri. Vid. b. Bilfinger l.c. §. 27-29. Vnde aliam ex cogitandam censuerunt sententiam. Sed falsa res est. Non sequuntur absurdum haec ex dogmate nostro. Confunditur metaphysica essentia cum physica. Videamus ergo quid de physica essentia statuendum sit, quo obiectiones removere queamus.

C 2

§. 19.

20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

§. 19.

Essentia physica est mera physica essentia existens.

Essentia physica est metaphysica essentia existens. Essentia physica enim est existentia entis (§ 15.); adeoque complementum possibilitatis illius (per def. existentiae). Iam complementum possibilitatis tale tantum esse potest, quale possibilis admittit. Hinc essentia physica talis esse debet, quem possibilis entis interna admittit. Possibilitas autem interna est essentia metaphysica entis (§ 15.). Essentia physica talis esse debet, quem admittit essentia metaphysica: consequenter est metaphysica essentia existens.

COR. 1. Cum vis sit principium determinationum actualium entis; vis est aliquid in ente existente, quod rationem metaphysicam reliquorum omnium continet. Hinc vis est essentia entis physica.

COR. 2. Vis entis per essentiam illius (metaphysicam) determinata est natura entis. Hinc essentia physica entis est natura illius.

SCHOL. Sic pater, quale discrimen essentiam inter et naturam entis intercedat, quod Scholastici et Cartesius distincte explicare non poterant. (conf. §. 6. Schol.). Coincidit natura entis cum essentia physica illius, non autem cum essentia metaphysica. Interim cum essentia physica sit metaphysica essentia existens, etiam natura est essentia metaphysica existens; adeoque naturae notio essentiae metaphysicae agnata quidem est, sed prater metaphysicam essentiam adhuc existentiam entis complectitur. Idem sane voluit Claubergius in Metaphysica de ente §. 56. licet non satis distincte mentem suam exprimere portuerit. *Ex omnibus, inquit, quae rei aliqui attribuuntur, unum sollemus considerare tanquam primum, praecipuum, et intimum rei, quod reliqua quodammodo complectitur, aut certe eorum omnium quasi radix et fundamentum est: hoc ipsum vocamus rei ESSENTIAM (puta metaphysicam, vid. §. 14. in fine), et cum respectu ad proprietates et operationes inde promanantes (i. e. quoad existen-*

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 21

existentiam et vim consideratum) etiam NATVRAM dicimus.
Conf. quae §. 6. Schol. monimus.

§. 20.

Essentia physica entis primi ordinis est absolute necessaria; ens secundi ordinis non item. Ens primi ordinis dicitur ens substantiae tale, cuius possibilis existentiam simul inuoluit. (vid. cel. Canzius l.c. §. 14.) E. essentia metaphysica illius iam inuoluit essentiam physicam (§. 15.). Iam essentia metaphysica est absolute necessaria (§. 17.); E. essentia physica entis primi ordinis est absolute necessaria. q.e.p.

Essentia physica entis primi ordinis et secundi ordinis consideratur.

Ens secundi ordinis autem est ens substantiae tale, cuius possibilis nondum inuoluit existentiam (vid. Canzius l.c.). Ergo essentia physica illius nondum per essentiam metaphysicam determinatur (§. 15.). Quam obrem, cum per essentiam metaphysicam ens fiat possibile, et esse suum accipiat (§. 16.); essentia physica entis secundi ordinis non determinatur per ens, quatenus ens est, determinatur (§. 17.), ergo essentia physica entis secundi ordinis non est absolute necessaria. q.e.a.

COR. 1. Ens primi ordinis ergo existit absolute necessario; imo absque existentia non est possibile: ens secundi ordinis vero non existit absolute necessario, sed contingenter: hinc sine existentia cogitari potest, ut mere possibile.

COR. 2. Existentia entis primi ordinis est immutabilis et aeterna (17 Cor.). E. neque ortum neque interitum habere potest. Contra existentia entis secundi ordinis est mutabilis: hinc eamdem amittere et interire potest.

COR. 3. Porro, quia ens secundi ordinis non absolute necessario existit, hinc existentiam suam non habet a se ipso (§. 17.). Si itaque existit, existentiam ab alio accepisse necesse est.

SCHOL. De ente primi ordinis ergo constat, quod a se ipso existat et sic ens aeternum. Facile etiam constat, quod sit

C 3

ens

22 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ens ab omnibus aliis independens et infinitum. Quae cum sint attributa, quae D E O tribuuntur: patet, D E V M esse ens primi ordinis. Res creatae autem, quia existentiam a D E O acceperunt, sunt entia secundi ordinis. Sed ob id ipsum non existunt absolute necessario. Possunt interire, immo statim interirent, nisi D E V S illas conseruaret. Iam principia sufficiencia habemus, ex quibus dubiis contra necessitatem essentiarum metaphysicarum motis obuiam ire possumus. Fiat id breuiter ante, quam principia ad ortum essentiarum applicamus, ne lectores circa adlicationem principiorum haereant.

§. 21.

Dubium pri-
mum contra
necessitatem
essentiarum
remouetur.

Necessitas essentiarum metaphysicarum non infert necessitatem existentiae in entibus secundi ordinis. Quod enim necessitatem existentiae inferre debet, per idem existentia debet determinari (p. def. necess.). Iam essentia metaphysica entium secundi ordinis existentiam illorum non determinat (per dem. § 20.) Ergo non inferre potest necessitatem existentiae. Licet ergo existentiae metaphysicae entium secundi ordinis sint absolute necessariae (§. 17.), ob id ipsum tamen non infertur necessitas existentiae, sed existentia illorum est et manet contingens (§ 20.).

SCHOL. I. Inde primum remouetur dubium, ac si per dogma dei-
sticum (ita dogma de necessitate essentiarum metaphysicarum
vocare mos est) absolute omium rerum necessitas introducere-
tur. Introducitur necessitas possibilium; non existentium (§. 15.). Interim ita ratiocinatur dissentientes: *Existentia rei talis est, qualem esse essentia (nimur metaphysica) permittit.* Atqui es-
sentia est necessaria: Ergo et existentia. Vel ita: *Nulla ex-
istentia aliter se habere potest, quam essentia permittit, cuius est
complementum.* Atqui essentia necessario talis est. Ergo et ex-
istentia. Sed concedo maiorem, immo ipse eandem demonstra-
ui (§. 19.); nego consequentiam. Essentia est necessaria: ergo
existentia talis esse debet, qualem essentia necessaria permitit.
Demonstres ergo, essentiam necessariam non permettere existen-
tiam

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 23

tiam contingentem, tunc vietas dabo manus. Sed contrarium demonstrauit in ipso Spinoza. Differunt hæc: existentia talis esse debet, qualis essentia permittit; et, existentia talis esse deber, qualis est essentia. Essentia, tanquam possibilas interna non est nisi in mente repraesentante. Num existentia talis quoque est? erunt itaque omnia existentia non nisi in mente repraesentante. Simili modo refutatur et hoc dissentientium ratiocinum: Aut accedens ad essentiam existentia essentiae necessitatem auferit, aut non. Si auferit; tum existentia essentiam mutat, nec compleat, quod est contra definitionem existentiae. Si non auferit, tum ens existens omne necessarium manet. Sed negatur iterum consequentia. Existentia necessitatem essentiae non auferit, nec mutat eandem, sed exinde non sequitur: ergo etiam ens, qua existens, sit necessarium. Conclude potius: ergo ens, qua possibile si, quoad essentiam metaphysicam manet necessarium, licet existentia contingenter accederit. Sic e. g. necessario possibile est, me scribere posse has litteras. Num ideo ex necessitate easdem actu scribo? minime!

SCHOL. 2. Apogogice quoque demonstrari potest, quod necessitas essentiarum metaphysicarum non inferat necessitatem existentiae in entibus secundi ordinis. Si enim hoc ponas, affirmare simul debes, quod necessitas possibilium extrinsecorum inferat existentiam necessarium. Hinc possibilia intrinsecus talia etiam necessaria existerent. Nihil itaque foret intrinsecus possibile, nisi quod existeret. Atqui hoc est absurdum. Plures mundi intrinsecæ adhuc sunt possibiles, praeter optimum, qui existit; ideo tamen non existant. Evidem non fugit me controvergia hac de re agitata. Hobbesius, Abelardus, Wiclefius, alii, actualia possibilibus coextenderunt, nihil possibile admittentes, nisi actuale. Sed nolo sententiam hanc dudum a Leibnitio in Theodicea §. 168 — 174. refutatam denuo refutare. Vide etiam b. Bilfingeri dilucidat. philos. §. 34 — 42.

¶. 22.

Necessitas essentiarum metaphysicarum non introducit fatum. Fatum enim est necessitas eventuum in mundo; Dubium secundum defato solvitur.
ad eo-

24 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

adeoque necessitas, quae ad existentia pertinet. Per quod igitur non infertur necessitas existentium, per idem non introducitur fatum. Nam necessitas essentiarum metaphysicarum non infert necessitatem existentiae in entibus fœcundi ordinis (§. 21.). E. necessitas essentiarum metaphysicarum non introducit fatum.

SCHOL. Ita et altera difficultas, qua dogma de necessitate essentiarum metaphysicarum premi videbatur, remota est.

§. 23.

Necessitas essentiarum metaphysicarum DEO non auferit libertatem in creando et gubernando mundo. Actionum librarum tria esse constitutiva, spontaneitatem, intelligentiam et contingentiam actuum, dudum demonstravit Per ill. L. B. de Wolff in Compendio metaph. Cap. 3. §. 514 — 519. Sententia ergo, qua non tollitur spontaneitas, intelligentia et contingentia actuum DEI in creando et gubernando, etiam non auferit DEO libertatem in creando et gubernando. Haec constitutiva libertatis autem non tolli per dogma de necessitate essentiarum metaphysicarum, ita probo:

I) *Non tollitur intelligentia.* Etenim non sequitur: essentiae rerum metaphysicae sunt absolute necessariae: ergo DEVIS illas non intelligit. Quid? DEI essentia tam metaphysica, quam physica est absolute necessaria (§. 20): ergone DEVIS semet ipsum distincte cognoscit? ergone intelligit, quomodo possibilis sit, quoque existat modo? Quae hic respondes, tibi ipsi dicta esse puta.

II) *Non tollitur spontaneitas.* Spontaneitas est principium efficiens intrinsecum, quo quis sine concurso principiorum efficientium extrinsecorum se ad agendum determinat. Haec ergo tollitur, ubi principium

DFG

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 25

pium efficiens extrinsecum concurrit, per quod agens determinatur ad agendum. Per se patet, illud principium efficiens non posse esse mere possibile, sed ens existens esse debere. Essentia metaphysica autem consistit in possibiliitate interna entis (§. 15.): ergo non poterit esse principium efficiens concurrens, per quod agens ad agendum determinari posset. Siue igitur necessitatem essentiarum metaphysicarum absolutam statuas, siue neges: neutro tamen casu tollitur per sententiam tuam spontaneitas DEI in creando et gubernando mundo.

III) Non tollitur contingencia actuum. Actus enim libertatis non versantur circa possibilia, sed existentia, quia in actibus liberis ex pluribus possibilibus distinet cognitis illud producitur, quod maxime placet. Vid. Per-III. L. B. de Wolffl. c. §. 519. Ergo non requirunt contingentiam possibilium, sed saltim eorum, quae ex pluribus possibilibus per exercitum libertatis ad existentiam deducuntur, existentiam contingentem. Licet ergo possibilia sint absolute necessario possibilia, illorum tamen necessitas absolute non tollit contingentiam actuum libertatis, si modo existentia illorum contingens est. Quamobrem cum necessitas essentiarum metaphysicarum sit necessitas possibilium (§. 15.), quae vero necessitatem existentiae in entibus secundi ordinis minime infert (§. 2.): manifestum satis est, per necessitatem absolutam essentiarum metaphysicarum non tolli contingentiam actuum DEI in creando et gubernando mundo.

Ergo necessitas essentiarum metaphysicarum DEO non aufert libertatem in creando et gubernando mundo.

D

SCHOL.

26 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

SCHOL. Sic et tertia remouetur difficultas, quam sibi fixerunt essentiarum arbitriarum patroni. Intelligentiam quidem et sponteitatem actuum, facile concedunt, consistere posse cum dogmate ideistico. Negarunt saltim contingentiam actuum cum eodem consistere, atque ex hoc potissimum fundamento libertatem DEO per hoc dogma eripi existimarentur. Sed omnis difficultas inde venit, quod 1) possibilia etiam libertatis diuinae obiecta reputauerint; 2) necessitatem possibilium etiam existentiae necessitatem inferre existimauerint. Ex demonstratis autem contrarium patet utriusque propositionis. Cadir proinde et haec difficultas.

§. 24.

Hactenus essentiam considerauimus. Restat, vt nume *originis* notionem euoluamus, qua euoluta determinante ad propositam respondere poterimus quaestioneum. Vox *originis* proprie de existentibus sumitur: illud nempe *oriri* dicitur, quod existere incipit. Oritur igitur aliquid ex aliquo, si ex aliquo existentiam suam nascitur. Videatur Per ill. L. B. de Wolffontolog. lat. §. 544. Hinc, quod ex altero oritur, in altero rationem existentiae seu rationem fiendi habet. Poterit vero ex speciali hac notione per abstractionem metaphysicam generalior formari, omittendo hanc determinationem, quod ratio fiendi esse debeat. Atque tunc generatim illud ex altero *oriri* dicetur, quod in altero rationem habet. Hoc significat ortus non de existentibus solum, verum etiam de possibilibus praedicari potest, quatenus nimirum rationem in altero habent. Hinc ortus diuersos esse debet, prout ratio, quam quid in altero habet, diuersa deprehenditur. Iam ratio est vel cognoscendi f. analytica, vel metaphysica f. determinans in specie (§. 5. Schol.). Priori casu ortus forsitan non incongrue *analyticus* seu *idealis*; posteriori, *metaphysicus* seu *realis* vocari poterit. Analytice igitur

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 27

tur aliquid ex altero oritur, si in altero rationem cognoscendi habet: *metaphysice* vero, si in altero rationem metaphysicam habet.

SCHOL. 1. Ita e. g. de compositis demonstratur in ontologia, quod possint naturali modo oriri: vbi ortus nihil aliud significat, quam initium existentiae. Possunt nimirum corpora incipere naturali modo existere. Porro adpetitus dicitur oriri ex cognitione boni, quia in cognitione boni continetur ratio existentiae adpetitus, hicque existere statim incipit, vbi nobis bonum quid esse cognoscimus. His casibus originis vox *stricte* pro initio existentiae sumitur. Non raro autem significatum vocis magis extendi quoque videmus, ut etiam ex altero aliquid oriri dicatur, si modo rationem quandam in alio habet, licet non sit ratio fiendi. Ita frequentes sunt formulae: conclusio oritur ex praemissis; cognitionis intellectualis oritur ex sensuali; obligatio oritur ex lege: lex oritur ex obligatione etc. cum tamen conclusio non rationem fiendi, sed cognoscendi saltim in praemissis, cognitionis intellectualis rationem cognoscendi in sensuali, obligatio rationem cognoscendi in lege, lex iterum rationem cognoscendi in obligatione habeant. En! exempla ortus analytici, quae simul confirmant, notiones formatas non abhorre ab vnu loquendi. De ortu metaphysico exempla satis nota sunt. Ita si composita naturali modo, si appetitus ex cognitione boni, si aus ex ouo oriri dicuntur, ortus sumitur metaphysice. Non enim ratio cognoscendi, sed determinans s. metaphysica hic subintelligitur.

SCHOL. 2. Caeue, L. B. pro inanibus subtilitatibus, aut nugis metaphysicis habeas notiones euolutas. Ostendi enim illarum fundamentum ex vnu loquendi, mihi autem hac distinctione opus est, vti mox videbis. Immo valde vereor, ne, si iudicium praecepites, mox erubescas, vbi vnum notionum deprehendes, et veritas tibi cordi est. Quodsi quis autem ob nouitatem distinctionem hanc reprehendat, illi liberum quidem per me erit sensu suo abundare. Commendo tamen huic verba b. Bifingeri dilucidat philosoph. §. 2. in nota subiancta. His perlegdis, puto, tacebit.

28 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

§. 25.

Ortus forma-
lis et caussa-
lis quid?

Ortus metaphysicus duplicitis adhuc generis esse potest. Metaphysice nimurum aliquid ex altero oritur, si in altero rationem metaphysicam habet: Ratio metaphysica autem est vel *essendi*, quae possibilitem; vel *fiendi*, quae existentiam entis determinat (vid. Per Ill. L. B. de Wolff ontolog. lat. § 874.). Priori casu ortum metaphysicum *formalem*; posteriori *caussalem* vocabimus. *Formaliter* igitur aliquid ex altero oritur, quod in altero rationem essendi s. possibiliter habet: *caussaliter*, quod in altero rationem fiendi s. actualitatis habet.

SCHOL. Nouos equidem hic profero terminos, non tamen absque necessitate. Ortum in analyticum et metaphysicum dividendum esse, ostendi (§. praecc.). In ortu metaphysico rationem essendi a ratione fiendi distinguendam esse nemo metaphysicus non concedit. Quam ob rem, cum, quae in re ipsa differunt, etiam diuersis nominibus sint insignienda; noui termini etiam hic condendi erant, quia, quantum mihi quidem constat, nondum adsunt termini adhiberi apri. Philosophum itaque non spero confilium meum aegre laturn. Dabo autem denominationum rationem. Notum est, *Scholasticos* rationem essendi s. possibiliter etiam *formalem* vocasse, immo ipsum essentiam metaphysicam, quae in possibiliitate interna entis consistit (§. 15.) vocarunt rationem *formalem*, quia continet rationem, ob quam reliqua enti competere possunt; et hinc quia rationem possibiliter s. essendi reliquorum omnium continet. Rationem autem, ob quam ens existat, vel ut tale existat, *caussalitatem* vocarunt. Vid. Per Ill. de Wolff § 884 ontolog. lat. Hac ratione duabus ortum metaphysicum, quatenus ad rationem essendi attenditur, *ortum formalem*; quatenus vero ad rationem fiendi attenditur, *ortum caussalem* vocavi. Iam dicta exemplis illustrabo. Si praediudicia fontes errorum dicuntur, eo ipso errores ex praediudicis oriri adleritur. Sed praediudicia continent rationem essendi errorum; qui praediudiciis deditus est, in errores incidere potest, non

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 29

non autem ob qualecunque praeiudicium statim agit errat, dantur enim et vera praeiudicia, vt ex praecepsis logicis constat. Oriuntur itaque errores ex praeiudiciis quidem metaphysice; sed formaliter. Similiter, si notiones, iudicia, ratiocinia ex intellectu oriri dicuntur, ortus formalis subintelligendus est. Intellectus enim est facultas possibilia distincte cognoscendi: hinc per illum possibile est, vt quis notiones, iudicia et ratiocinia formet. Habet itaque notiones, iudicia et ratiocinia rationem possibilitatis s. essendi in intellectu; et oriuntur ex illo metaphysice quidem, sed formaliter. Si vero habitus oriri dicitur ex exercitio, circulus ex motu rectae circa punctum immobile, auis ex ovo, tunc de ortu caussali sermo est. Habitum enim rationem fiendi in exercitio, circulus in actuallu motu rectae circa punctum immobile, auis in ovo habet. Exempla proleta confirmant, nos non sine ratione in ortu metaphysico formalem a caussali distinxisse.

§. 26.

Ortus analyticus entis ex principio cognoscendi, metaphysico deriuandus est. Analyticus autem ex principio metaphysico deriuandus est. Analyticus enim aliquid ex altero oritur, si in altero rationem cognoscendi habet, metaphysice autem, si in altero rationem metaphysicam habet (§ 24.). Ratio cognoscendi autem continetur in principio cognoscendi, et ratio metaphysica in principiis metaphysicis (p. def. princip.): ergo ortus analyticus entis ex principio cognoscendi, metaphysicus vero ex principio metaphysico deriuandus est.

COR. 1. Simili modo patet, ortum formalem ex principio es-
sendi, et ortum caussalem ex principio fiendi deriuandum esse
(§. 25.).

COR. 2. Quicquid igitur non habet principium metaphysicum,
illud non habet ortum metaphysicum: hinc quod non habet
principium essendi, non habet ortum formalem; et quod non
habet principium fiendi, de illo nec ortus caussalis praedicari
potest (p. Cor. 1.).

D 3

SCHOL.

30 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

SCHOL. 1. Notare velis, sermonem hic esse de principio *extrinsecō*. Loquimur enim de ortu entis *ex alio* quodam, vt ex definitionibus patet. Falluntur itaque, qui ex eo, quod quid non habeat principium metaphysicum *intrinsecum*, negant ortum metaphysico sensu de eodem praedicari posse. Notari hoc meretur ob eos, qui essentiis rerum ortum metaphysicum denerant, cuius sententiae contrarium mox fumus demonstraturi, iuuabit autem dicta exemplis iterum illustrare, antequam ad�atio fiat, ne, quibus difficile est abstracta perspicere, obscuri siamus. Principium rationis sufficientis cognoscitur ex principio contradictionis: existentia DEI cognoscitur ex contingencia mundi, vel, si minus, ex contingencia mea. Dum igitur principium rationis sufficientis ex principio contradictionis, existentia DEI ex mea vel mundi contingencia deducitur, eo ipso ortus analyticus DEI et principii rationis sufficientis ostenditur. Sed quia DEVS non habet principium metaphysicum sui extrinsecum, neque essendi, neque fiendi, hinc merito negamus DEV M sensu metaphysico ex alio oriri posse, idque tam de ortu formalis, quam causali. Quare facile patet, quo sensu 2 Cor. §. 20. sit explicandum. Dum autem existentia mundi ex creatione deducitur, ortus eiusdem metaphysicus et quidem causalis explicatur.

SCHOL. 2. De ortu analytico DEI, quem ex contingencia mea vel mundi denuantum esse dixi, non possum, quin te L. B. admoneam, vt formulam hanc legendo Philosopham agas, non consequentiarum. Huius enim si mores imitari cuperes, de innocentia formulae auctum esset. Facile enim tibi foret imputare mihi hic errores crassissimos. Tribuo DEO ortum, et quidem ex me vel mundo contingente. Proh! quale portentum! nego ergo DEV M esse aeternum, absolute necessarium, ab omnibus rebus independentem: DEV M dependentem pronuncio a me vel mundo contingente! nonne? Quidni etiam addis, me negare existentiam DEI, esse Atheum, Naturalistam, Spinozistam et id genus alia? Posset enim sic fieri consequentarius, qui in suo genere optimus es. Sed quorsum demen-giae tandem abires? Fores fane ludibrio omnibus aequis rerum aesti-

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 31

aestimato^ribus. Tace haec itaque, et memento regulae logicae, quae Philosophos iuber non ex terminis, sed illorum notionibus dijudicare. Videbis, crede mihi, formulae adductae innocentiam. Non dico D E V M habere ortum metaphysicum ex contingentia mea vel mundi, sed *analyticum* saltim. Quid autem hoc sibi vult? nihil aliud, quam hoc: D E I existentia potest cognosci et demonstrari ex contingentia mea vel mundi (§. 24.). Quis autem fanus hoc negare potest?

§. 27.

Hactenus tam essentiae, quam originis notionem sufficienter, ni fallor, explicui. Comparemus nunc notiones euolutas, et determinatas, credo, deriuare valebimus conclusiones. Essentia entis est vel metaphysica vel physica (§. 14.): ortus autem vel analyticus vel metaphysicus; hicque iterum vel formalis, vel causalis (§. 24.25.). Manifestum itaque est, questionem de origine essentiarum in sequentes resolui posse:

Dicta adpli-
cantur ad ori-
ginem essen-
tiarum.

- I) *Virum essentiae habeant ortum analyticum, et unde hoc modo oriuntur?*
- II) *Virum essentiae ortum habeant metaphysicum, et ex quo deriuandus ille sit?*
- III) *An, et qualis sit essentiarum ortus formalis?*
- IV) *An, et qualis sit essentiarum ortus causalis?*

pro-

32 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

propositas autem quaestiones tam respectu essentiarum metaphysicarum, quam physicarum resoluendas esse. Singulas videbimus.

§. 28.

Ortus analy-
ticus essen-
tiarum.

Essentiae rerum plures possunt habere ortus analyticos.
Ortus enim analyticus entis ex principio cognoscendi deriuandus est (§. 25.): ergo et ortus analyticus essentiarum ex principio cognoscendi essentiarum deriuari debet. Iam vero vna eademque res pluribus modis cognosci potest (per Log.): hinc etiam plura habere potest principia cognoscendi, ex quibus deduci potest. Ergo et essentiae rerum plura possunt habere principia, ex quibus illarum cognitione adquiritur: consequenter plures possunt habere ortus analyticos (§. 24.).

COR. 1. A genere uniuslibet summo ad omnes species valet consequentia (p. Log.). Ergo tam essentiae metaphysicae, quam physicae, plures possunt habere ortus analyticos.

COR. 2. Porro, quia in demonstratione, qua propositionem corroborauimus, nulla entis secundi ordinis facta est mentio, patet, dicta tamen de essentia entis secundi ordinis, quam primi ordinis valere.

SCHOL. 1. Quo haec eo melius intelligantur, quedam illustrationis gratia adponam. Ex praecepsis logicis notum est, omnem cognitionem adquiri vel a priore, vel a posteriore. Illam ex notionibus, hanc per experientiam. Quae ex notionibus cognoscuntur, ex vna vel pluribus comparatis deducuntur: utrumque ramen casu eligere saepe plures possumus notiones, ita, ut sequitur ex ipsis, ac ex altera possit deduci eadem conclusio, quod neminem fugit, nisi scientiarum hospitem. Plura itaque hinc dantur principia cognoscendi rem a priore: quodcumque autem determin-

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 31*

determinat rei ortum analyticum. Ita e. g. contingentia mundi pluribus modis potest a priore demonstrari. Procedit demonstratio ex notione mundi, ex eo, quod sit compositum, quod successiones habeat, ex notione absolute necessarii, ex notione contingentiae etc. Habet itaque contingentia mundi plures ortus analyticos sensu tales. Similiter, quae per experientiam cognoscuntur, vel per observationes, vel per experimenta cognosci possunt. Sed unum idemque ex pluribus observationibus, vel etiam ex pluribus experimentis institutis, cognosci potest. Singulae observationes singulaque experimenta exhibent principium quoddam cognoscendi rem: quocunque itaque determinat ortum rei analyticum.

SCHOL. 2. Adplicemus dicta speciatim ad essentias. *Essentia metaphysica* est possibilitatem entis internam (*§. 15.*): ex quo igitur possibilitatem entis internam cognoscere potes, illud exhibet principium cognoscendi, et determinat ortum analyticum essentiae metaphysicae. Poteris autem possibilitatem entis internam cognoscere a priori, si notionem entis confulis, atque, notarum ingredientium comparatione instituta, comprehendis, illas sibi inuicem non contradicere (*§. 16. Cor.*). Cumque plures dentur entis definitiones nominales (per Log.): ex cuiuslibet facta evolutione possibilitem entis internam; adeoque et essentiam metaphysicam eius perspicere poteris. *Quaelibet itaque definitio nominalis determinat ortum analyticum essentiae metaphysicae entis, eundemque a priori.* Quod etiam exinde deduci poterat, quia ex quo cumque attribuo proprio essenti cognosci potest, e. g. si essentiam DEI consideras, poterit haec ex pluribus definitionibus de DEO formatis deduci. Definiri potest DEVS per ens a se, ens infinitum, ens absolute necessarium, ens perfectissimum, ens primi ordinis, ens omnipotens, ens omnipraesens, ens omniscium etc. Quaelibet harum notionum sufficit ad possibilitem DEI internam cognoscendam: determinat itaque ortum analyticum essentiae metaphysi-

32* DISSERTATIO PHILOSOPHICA

physicae illius. Idem de essentiis metaphysicis entium secundi ordinis tenendum. Quia autem ultimato demonstratio-nes omnes a priori in principium contradictionis refol-vuntur: hinc patet ratio, cur principium contradictionis a non-nullo principio essentiarum vocatum sit. Nunc etiam a posteriori essentias metaphysicas entium cognoscere potes, licet non per solam experientiam, sed per connubium ratio-nis et experientiae. Nimirum a posteriori cognoscere potes existentiam rei. Scis autem ab existentia ad possibili-tatem tuto concludi posse. Quodsi igitur cognoscis quomo-do ens existat, cognoscere inde simul potes, quod sit intrin-secus possibile; adeoque cognoscis existentiam metaphysicam illius a posteriori. En itaque ortum analyticum essenti-arum metaphysicarum a posteriori! Ita e. g. ex existentia ho-rologii, vel alius machinae, etiam possibilas illius cognosci potest: cognoscis igitur horologii, vel alius machinae essen-tiam metaphysicam a posteriori. Noli obiciere, quod ea non a posteriori cognoscantur, quae per connubium ratio-nis cum experientia saltim deteguntur: scis enim, quod phi-losophis etiam illud per experientiam cognosci dicatur, quod im-mEDIATE ex experientia proprie sic dicta concluditur. Vid. b. Coruini Instit. Philosoph. rational. Cap. VIII. §. 716. Schol.

SCHOL. 3. Quod ortum analyticum essentiarum physicarum adinet, inter essentiam physicam entis primi ordinis et en-tium secundi ordinis distinguendum est. Essentia physica entis primi ordinis tam a priore, quam a posteriori cognosci potest. A priore ex definitione illius, quia possibilas il-lius iamiam inuoluit existentiam (§. 20.): a posteriori ex operationibus illius, quorsum pertinet contemplatio mundi contingentis. Essentia physica entium secundi ordinis autem non a priore cognosci potest: etenim illis existentia non comperit ob definitionem (§. 20.): hinc nec ex defini-tione potest deduci essentia eorum physica (§. 15.); con-sequen-

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 33

sequenter non a priore cognosci potest. A posteriori autem cognoscitur existentia ex operationibus illorum: hinc et essentia physica. Patet itaque essentiam physicam entis primi ordinis habere ortum analyticum a priore et a posteriore: entium secundi ordinis autem saltum a posteriore.

SCHOL. 2. Satis nunc constare puto, essentias rerum tam metaphysicas, quam physicas varios posse habere ortus analyticos. Falleretur itaque, qui de ortu analytico essentiarum disputaret, utrum ab intellectu DEI, an ab eius potentia, an essentia derivandus sit, an potius ex principio a DEO distinguo? Pertinet enim eiusmodi disputatio ad ortum metaphysicum, non analyticum. Nec ortus analyticus, quantum mihi constat, est, qui lites inter philosophos mouit. Disputarunt de principio realitatis essentiarum (§. 1.), adeoque de ortu metaphysico saltum. Quare mittamus ortum analyticum, et videamus, num de ortu metaphysico essentiarum certi quid statuere queamus?

§. 29.

Ortus metaphysicus essentiarum metaphysicarum, si quis datur, non nisi formalis esse potest. Essentiae enim metaphysicae consistunt in possibiliitate interna entis (§. 15.). Possibilitas interna autem, qua talis, si rationem metaphysicam s. determinantem in alio habet, non potest rationem existentiae s. fiendi, sed saltim possibilitatis s. essendi in illo habere (pp. ppium contrad.). Quam ob rem, cum illud ex altero caussaliter oriiri dicatur, quod in illo rationem fiendi habet, formaliter autem, quod in illo rationem essendi habet (§. 25.): manifestum est, essentias metaphysicas, si quem ortum metaphysicum habent, non caussalem, sed formalem tantum habere posse.

Ortus metaphysicus essentiarum metaphysicarum indicatur.

SCHOL. Ita formatus est status controversiae de origine essentiarum metaphysicarum. Nimurum si de ortu metaphysico disputatur (quod fieri ex eo constat, quia principium realitatis essentiarum quae fuerunt Philosophi (§. 1.)), quod vero non principium cognoscendi, sed principium determinans s. metaphysicum

E

cum

34 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

cum esse debet) non queri potest principium siendi essentiarum. Hoc enim non ad ortum formalem, sed causalem pertinet (§. 25.), qui vero de essentiis metaphysicis, qua talibus, praedicari nequit. Sed de principio effendi disputatur. b. e. de eo, in quo nam ratio possibilisitatis essentiarum metaphysicarum sit quaerenda?

§. 30.

Quae in ortu metaphysico essentiarum metaphysicarum determinando principium effendi illarum statuendum est adhuc distingua? (§ 29.). Quam ob rem, cum essentia plura essentia continua, quorum complexus totam essentiam constituit (§ 7.): patet, duo adhuc in quaestione proposita distingui posse. *Vel enim quaeritur principium effendi singularium essentiarum seorsim spectatorum; vel principium effendi totius essentiae i. e. complexus omnium essentialium.*

§. 31.

Principium proximum effendi totius essentiae metaphysicae effendi totius continetur in ipsis essentialibus illius. Si enim totam essentiam metaphysicam entis cogitas, cogitas complexum omnium essentialium ipsius (§. 7.). Possibilitas illius igitur est compossibilitas essentialium omnium (p. def. comp. possibil.). In quo igitur continetur ratio compossibilitatis essentialium omnium, idem etiam rationem possibilitatis totius essentiae continet. Atqui in quo ratio continetur, cur essentialia simul enti inesse possint, in illo etiam continetur ratio compossibilitatis essentialium omnium. Ratio autem, cur essentialia simul enti inesse possint, in ipsis essentialibus deprehenditur (§. 12.): ergo etiam ipsa essentialia continent rationem possibilitatis totius essentiae. Quod vero continet rationem possibilitatis totius essentiae metaphysicae, illud etiam principium effendi illius est (per def.). Ergo ipsa essentialia essentiae metaphysicae sunt principium effendi illius; et qui-

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 35

quidem, quoniam ratio possibilis totius essentiae immediata, proxima in illis est (per dem. § 12.), sunt principium proximum essendi totius essentiae metaphysicae.

COR. Hiac dicere possumus, essentias rerum metaphysicas per se determinari, quia principium essendi proximum illarum in ipsis essentialibus contingit. Immo ob id ipsum dici possunt absolute necessariae et aeternae, ut supra (§. 17.) demonstravimus.

§. 32.

Essentia metaphysica principium proximum essendi in ipsis essentialibus habet (§. 31.), quae rationem complicitatis suae in se ipsis habent (§. 12. Cor. 1.). Hinc etiam non-repugnantia praedicatorum essentialium ex illis ipsis iamiam cognosci potest. Essentialibus itaque semel praesuppositis, non opus est, ut in cogitationibus nostris ultra ipsa ascendamus, si non-repugnantiam illorum intelligere cupimus. Atque quoniam veritates aeternae ex solis definitionibus, adeoque ex solis essentiis rerum concipi et demonstrari iam possunt: hinc et veritates aeternae, praesuppositis essentialibus, intelligi a nobis possunt absque altiore quodam principio praesupposito. E.g. praesupposita possibilitate animae rationalis et corporis organici ex terra compabilitatem illorum ad hominem constitendum ex illis ipsis deinde concipere possumus, quia notiones animae rationalis et corporis organici ex terra sibi non repugnant. Similiter sensacionis essentialia sunt cogitatio et res praesens. Suppositis illis compabilitatem statim ex illorum rationibus intelligere possumus. Ad essentiam itaque hominis et sensacionis concipiendam non opus habemus altiore principio, supposita semel essentialium realitate. Eodem modo se res habet cum veritatis aeternis, e.g. si aequalia aequalibus adduntur, summas debent esse aequales. Huius propositionis veritas iam intelligitur ex

Dicta confe-
runtur cum
sententia
Scholastico-
rum.

E 2

notio-

36 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

notionibus aequalium, additionis et summae. His semel praesuppositis actiore principio non opus habemus ad veritatem propositionis perspiciem. Arque hinc Scholasticorum sententia, quod essentiae rerum metaphysicae et veritates aeternae ex se ipsis possint intelligi, sine aliorum cuiusdam principii cogitatione (conf. §. 1.), vera est. si essentialia semel praesupponuntur, nec vterius de principio realitatis singulorum essentialium disquiritur. Verum quoque hoc est, quod Atheus possit esse Geometra, aliasque perspicere scientias. Quodsi enim de realitate singulorum essentialium in ente non sollicitus est, sed illa precario adsumit, tunc compollibilitatem illorum, adeoque totam rei essentialiam independenter a DEO intelligere potest: haec enim ab ipsis essentialibus, quae adsumit Atheus, dependet. Potest hinc etiam rerum definitiones formare, arque veritates aeternas ex illis demonstrare. Confer. Leibnitius in Theodicea §. 18⁺. Errant autem Scholastici, si exinde concludunt, quod essentiae rerum metaphysicae a DEO proflus sunt independentes. Potius ita argumentari debuissent: compollibilitas s. non - repugnantia praedicatorum essentialium ex ipsis essentialibus concipi potest, sine distincta DEI cogitatione, (si nimur realitas singulorum essentialium semel adsumitur). Essentiae rerum ergo a DEO proflus erunt independentes. si quidem realitas singulorum essentialium a DEO non dependet. Deinde hoc specialius inquirere debuissent, anne realitas singulorum essentialium a DEO adhuc dependeat? Quod cum neglexerint, atque principium essendi singulorum essentialium seorsim speculatorum cum principio essendi totius essentiae h. e. cum principio compollibilitatis essentialium ad totam essentialiam constituendam confuderint; mirum non est, qui in sententiam DEO indigam inciderint. Nos igitur,
quo

quo eo magis errorem hunc Scholasticorum ostendere et confutare queamus, oportet, ut principium realitatis singulorum essentialium inquiramus.

§. 33.

Intellectus est principium essendi singulorum essentialium essentiae metaphysicae. Etenim essentia metaphysica est possibilis entis interna (§. 15.). Possibile autem in non-repugnant idealium consistit (§. 16. Cor.): ergo essentialia essentiae metaphysicae sunt ideae, quae sibi non repugnant (§. 7. et 10.). Eiusmodi ideae autem non sunt possibiles, nisi per intellectum, qui easdem format, et in quo esse suum habent (per vulg. Psychol.): ergo essentialia singula essentiae metaphysicae quoque non sunt possibilia, nisi per intellectum. Intellectus igitur continet rationem essendi singulorum essentialium essentiae metaphysicae: ergo etiam est principium essendi singulorum essentialium essentiae metaphysicae.

Principium
essendi singu-
lorum essen-
tialium de-
terminatur.

SCHOL. Generalem hic exhibeo demonstrationem, qua nondum determinatur, utrum intellectus diuinus sicut, an etiam alias possit esse principium essendi singulorum essentialium. Oportet enim in doctrina difficulti successive progredi, ne aliorum errores euitatur ex precipitania in crassiores incidamus. Sufficiat igitur nobis generalem primo demonstrati propositio- nem. Specialia mox sequentur. Hic modo dicta exemplo il- lustrabimus. Si aedificium cogitas extrudendum, essentia illius consistit in modo compositionis partium conf. Per ill. L. B. de Wolff compend. metaphys. 59 Partes ipsae aedificii igitur sunt essentialia illius. Cum autem essentia metaphysica in possibiliate interna consistat (§. 15.): hinc etiam aedifici essentia metaphysica consistit in possibili modo compositionis partium eius; et partes ipsae, ut possibiles specatae, exhibent essentialia aedificii. Sed unde oriuntur haec essentialia? Sane ex intellectu architecti, qui aedificium extrudere conatur. Nimirum antequam architectus aedificium ipsum extrudere incipit,

38 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

primo de singulis eius partibus cogitat, deinde partes excogitatas in cognitionibus suis combinat, et sic totius aedificii ideo per intellectum sibi format. Ex intellectu architecti igitur oriuntur singula aedificia essentialia metaphysica, immo per intellectum illa combinat, et sic acquirit possibilem modum compositionis partium h. e. essentiam metaphysicam totius aedificii. Patet itaque intellectum architecti hic esse principium essendi singulorum essentialium aedificii. Velim autem, ut probe hic singula expendantur verba, ne quis mentem mihi peruerterat. Dico generaliter intellectum architecti esse principium essendi essentialium singulorum aedificii; non autem in ea sum haeresi, ut architecti intellectum pro ultimo essendi principio habeam. Hoc saltim in intellectu DEI inueniri mox demonstrabitur.

§. 34.

Essentiae metaphysicae formaliter oriuntur ex intellectu,

Tam singulorum essentialium, quam ipsarum essentiarum metaphysicarum ortus formalis ex intellectu derivandus est. Formaliter enim aliquid ex altero oritur, quod rationem essendi in altero habet (§. 25.). Iam intellectus est principium essendi singulorum essentialium essentiae metaphysicae (§. 33.): ergo essentialia essentiae metaphysicae habent rationem essendi in intellectu (per def. principii): consequenter oriuntur formaliter ex intellectu. q. e. p.

Similiter cum complexus essentialium totam exhibeat essentiam (§. 7.): hinc oritur essentia metaphysica tota, si eius essentialia omnia combinantur. Iam essentialia essentiae metaphysicae oriuntur ex intellectu, qui illa excogitat (per membr. i.): hinc et combinatio essentialium metaphysicarum fit per intellectum, quippe in quo tantum esse suum habent (§. 33.); consequenter totae essentiae metaphysicae quoque formaliter oriuntur ex intellectu. q. e. a.

SCHOL. Exemplum §. praec. adductum etiam hoc theorema illustrare potest. Repetenda quoque hic est limitatio in fine scholii §. praec. adducta.

§. 35.

§. 35.

Intellectus DEI est principium ultimum essendi essentiarum metaphysicarum. Etenim essentiae metaphysicae formaliter oriuntur ex intellectu (§. 34.). Intellectus ergo, qui omnium primus est, et sine quo nullus alias possibilis est, ex illo etiam ultimato omnes formaliter oriri debent essentiae metaphysicae. Talis autem est intellectus DEI (per Theol. nat.): ergo ex intellectu DEI ultimato omnes formaliter oriri debent essentiae metaphysicae; consequenter est principium ultimum essendi essentiarum metaphysicarum (§. 25.).

et quidem vi-
timato ex in-
tellectu DEI.

COR. Sicut igitur principium proximum essendi essentiarum metaphysicarum in ipsis essentib[us] deprehenditur (§. 31.); ita remotum in intellectu (§. 33.), et ultimum in intellectu diuino deprehenditur.

SCHOL. Sati fecimus igitur etiam secundae et tertiae quaestio[ni] (§. 27.), quatenus essentias metaphysicas spestant. Ex diuis enim nunc patet, essentias metaphysicas habere ortum metaphysicum (§. 33—35.), sed non nisi formalem (§. 29.). Ostendimus etiam, ex quonam principio illarum ortus deriuandus sit? mimirum ultimato ex intellectu diuino. Possumus nunc etiam modum ostendere specialem, quo ex intellectu diuino formaliter oriuntur essentiae metaphysicae; sed vereor, ne limites dissertationis excedam. Possumus et huic labori superfedere, cum Per-III. L. B. de Wolff P. II. Theol. nat. Cap. II. §. 94 sqq. optime iamiam hunc modum ostenderit. Abunde hic satisfaciet lectori, sufficienti acumine metaphysico praedito. Quare nos ex demonstratis principiis saltim confessaria quedam adhuc deducemus, quo errores de origine essentiarum metaphysicarum essentias confutare queamus.

§. 36.

*Essentiae rerum metaphysicas ultimato dependunt ab intel-
lectu diuino.* Nam unum ab altero dependet, quatenus ali-
quid in se habet, cuius ratio in altero deprehenditur.

Essentiae me-
taphysicae ul-
timato de-
pendent ab
lam

40 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

intellectu
DEI.

Iam essentialia essentiae metaphysicae rationem essendi in intellectu (§. 34.), et ultimato in intellectu DEI (§. 35.) habent: ergo essentiae rerum metaphysicae continent aliquid in se, cuius ratio ultima est in intellectu DEI (§. 7. prop. I.); consequenter essentiae rerum metaphysicae ultimato dependent ab intellectu diuino.

COR. Ergo etiam possibilia ultimato dependent ab intellectu DEI, qui principium essendi illorum est (§. 15. 35.). Intellectus ergo DEI facit possibilia; et ideo quid possibile est, quia datur eius idea in intellectu DEI; immo sine DEI intellectu nihil foret possibile.

SCHOL. Atque ita incidimus in sententiam *Per Illustris Wolffii*, quam in compendio metaphys. §. 975. stricili, vberius autem in syntemate maiori Theol. nat. P. I. §. 188 — 196. et alia adhuc ratione P. II. Theol. nat. §. 173 — 177. proposuit atque clarissime demonstrauit. Eadem sententiam amplexus quoque est magnus *Leibnitius*, ex quo Wolffius hac de re ad illum scripsit, ceu videre est ex *Wolffii Ratione Praelectionum* Sect. II. C. II. §. 1c. et ex *Leibnitii Theodicea* §. 7. 184. 335. et aliis locis. Idem sententiam hanc quoque repetit in *Principiis Philosophiae*, Actis Eruditor. Lips. Suppl. Tom. VII. Sect. XI. An. 1717. insertis. Ibi enim §. 43. ita Vir summus: *Verum etiam est, in DEO non modo esse fontem existentiarum, verum etiam essentiarum, quatenus reales sunt, aut eius, quod in possibilite reale est.* Propterea intellectus DEI est regio veritatum aeternarum, sive idearum, unde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, et sibil non modo existeret, sed nihil etiam possibile foret.

§. 37.

Conjectaria.

Quia essentiae rerum metaphysicae ultimato ab intellectu diuino dependent (§. 36.), manifestum est,

- 1) illas a DEO non proflus esse independentes,
- 2) non habere principium realitatis DEO coacternum et conneccessarium,

3) nec

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 41

- 3) nec esse aliquid praeter DEVM, quod necessarium est, quin potius in ipso intellectu divino contineri;
- 4) esse DEO essentiales, quia intellectus ipsi essentiales est,
- 5) illarum necessitatem et aeternitatem a DEO pendere, quia hic illas absolute necessario et ab aeterno cognoscit.

SCHOL. Atque sic abunde pater, sententiam Scholasticorum, qui essentias a D t O prorsus independentes esse, atque principium realitatis a DEO distinctum, eidemque coeternum et connessarium, a quo necessitas et aeternitas illarum penderet, finixerunt, erroneam arque dignam esse, quae ex Philosophia expellatur (conf. §. 1.), ut recentiores quidam Philosophi, quos veneror, ex parte ad castra Scholasticorum transire videantur, quia essentiis metaphysicis principium realitatis, seu uti loquuntur, principium sensu metaphysico tale prorsus abnegant: quam in sententia fine dubio eam ob causam incidereunt, quia principio sensu metaphysico tali prioritatem in ipsa re tribuerunt, atque de principio metaphysico extrinseco non cogitarunt. Inde enim concludere debuerunt, quod essentiae metaphysicae non habeant principium aliquod metaphysicum intrinsecum, quia nihil prius illis in ente est, atque cum de principio extrinseco non cogit uerint, fieri deinde non potuit, quin essentiis metaphysicis ortum formalem prorius denegarent.

§. 38.

DEVS omnes essentias rerum metaphysicas ex se ipso intuitu cognoscit. Etenim ob intellectum infinitum, qui ipsi competit (p. propria Theol. nat.), omnia possibilia distinctissime simul et intuitu cognoscit (p. def.): essentiae rerum metaphysicae autem in possibiliitate interna consistunt (§. 15.): ergo DEVS omnium rerum essentias metaphysicas simul intuitu cognoscit q. e. p.

F

Cognoscit

DEVS essentias rerum ex se ipso intuitu cognoscit.

42 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Cognoscit autem D E V S se ipsum quoque intuiti-
ve et distinctissime per intellectum infinitum. Quam ob-
rem, cum sit ens absolute perfectissimum; adeoque
omnes realitates absolutas in absolute summo complemen-
to habeat; ex se ipso intuitiue omnes realitates absolutas
distinctissime cognoscit: consequenter et omnes possibi-
les combinationes realitatum et limitationes earum pos-
sibiles. Ex limitatione autem realitatum absolutarum,
atque limitatarum compossibilium combinatione oriuntur
ideae entium finitorum, seu possibilium secundi ordinis
(per def. finiti); et hinc ex omnibus possibilibus limita-
tionibus realitatum, atque compossibilium combinatio-
nibus ideae omnium finitorum possibilium oriuntur;
adeoque omnium rerum (puta entium finitorum, de his
enim nobis iam sermo est) essentiae metaphysicae (§. 15.).
cum igitur D E V S ex se ipso intuitiue omnes possibilis
realitatum absolutarum limitationes et combinationes
cognoscat (per syllogism. antec.); manifestum est,
D E V M omnes essentias rerum metaphysicas ex se ipso
intuitiue cognoscere q. e. a.

COR. Patet hinc noua ratione, quod essentiae metaphysicae
omnium rerum a D E O dependant, quodque sine D E O ni-
hil possibile esset. Nimur omnes realitates D E O compe-
tent: ex harum autem limitatione et combinatione oriuntur de-
num entia finita; Intellectus D E I omnes possibilis limitationes
et combinations ex ipso intuitiue cognoscit et format. Hinc
clarissime patet, quod intellectus D E I omnes possibilis ideas
et hinc essentias metaphysicas entium finitorum formet. Pen-
dunt itaque a D E O, et quidem ab eius intellectu.

§. 39.

Confessaria.

Porro manifestum nunc est,
i) quod D E V S essentias metaphysicas entium finitorum non

est

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 43

ex ipsis et in ipsis entibus cognoscat: intuetur enim illas ex se ipso et in se ipso (§. 38.). Hinc

- 2) *DEV'S nihil extra se intuetur*,
3) *competit ergo DEO omnium rerum cognitio*, etiam si ni-
bil extra illum existet (p. no. 2); consequenter fo-
rent essentiae metaphysicas rerum in intellectu DEI,
licet etiam nunquam extra illum res existent.
4) *ideae et essentiae rerum nobis non eodem modo inesse pos-
sunt, quo DEO insunt*. Nos enim illas non ex nobis
ipsis, sed ex entibus extra nos cognoscimus, pro-
pterea quod realitates entium a nobis diuersorum
non in nostra essentia continentur.

SCHOL. Ultima propositio probe expendenda est, quippe qua neglecta facilissimum est in sententiam DE O indignam incidere. Meretur itaque omnino exemplo illustrari. Si aedificii extensiū essentiam metaphysicam cogitat architectus, tunc quidem ineſt eius essentia in architecti intellectu. Sed quomodo? num architectus aedificii essentiam ex se ipso et in se ipso intuetur? minime! sed partes aedificii extensiū extra se cognoscit, licet cognitione illarum in intellectu illius sit. His cognitis meditatur de possibili compositionis harum partium modo: Meditatione ad finem perducta intelligi possibilem modum compositionis partium aedificii: intelligit itaque structuram *possibitem*, et hinc essentiam aedificii metaphysicam. Cum autem partes aedificii essentiales extra se cognoscat; hinc et possibilem harum partium modum compositionis extra se repraesentat; adeoque intelligit quidem essentiam metaphysicam aedificii, sed non ex se ipso et in se ipso; quin potius eandem concipit ex partibus aedificii extra se repraesentatis.

§. 40.

Iam comparemus dicta cum Cel. *Canzii* sententia. Vir *Dista* confe-
doctissimus in *Ontolog.* polem. p. 20. statuit, *essentias meta-*
physicas rerum fundari in DEI essentia, non in eius propri-
tatibus. Reiecit antea sententias *Philosophorum*, qui
runtur cum
Canzii sen-
tentia.

F 2

44 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

essentias a potentia, et sapientia DEI deriuant, vna cum sententia Scholasticorum, qui illas a DEO pendere negant. Displacuit etiam illi sententia nostra, quod possibilia seu essentiae metaphysicae ab intellectu DEI derivanda sint: Adponam ipsissima verba, que pag. 18 leguntur: *Eadem difficultas eos urget, qui possibilia ab intellectu DEI deriuant. Intellectus non format veritates; sed formatas repraesentat. Speculum et regio veritatum diuinus intellectus est, non vero figuris. Diuinus quidem intellectus omnis veritatis character est potest: quidquid enim DEVS intelligit, verum est; quidquid non intelligit, illud falsum. Sed character est principium cognoscendi, non principium essendi, de quo quaerimus.* Consideremus primo has difficultates, dein etiam sententiam illius videbimus. Permittat vir doctilimus, vt motis difficultatibus demonstrata §. 38. et 39. opponam. His enim dubium hoc occupasse existimo. Nimirum modus, quo DEVS aliquid cognoscit, differt omnino a nostro concipiendi modo. Nos si possibili cognoscimus, illa non in nobis et ex nobis ipsis intuemur, sed tanquam extra nos posita et a nobis diuerfa illa repraesentamus (§. 39. prop. 4.). Hinc de nostro intellectu verum quidem est, quod sit speculum et regio veritatum, non vero figuris, quia noster intellectus non primus format veritates et possibilia ex nobis ipsis, sed iamiam formatas extra nos repraesentat. Ast aliud dicendum est de intellectu diuino. Per illum DEVS nihil extra se intuetur: non cognoscit veritates et essentias metaphysicas entium ex entibus demum (§. cit. prop. 1. et 2.), sed ex se ipso intuitive cognoscit illas (§. 38.); immo cognosceret, et si entia extra illum non existerent (§. 39. prop. 3.). Determinauimus etiam modum, quo DEVS illas ex se ipso et in se ipso intuetur: nimirum dum cognoscit

gnoscit omnes possibles limitationes et combinationes realitatum, quae ipsis insunt, eo ipso cognoscit omnium finitorum essentias in se, et ex se ipso (§. 38. Cor.). Hinc viisque intellectus DEI format veritates, format essentias metaphysicas finitorum ex se ipso; adeoque non solum speculum et regio, sed etiam, si verbis Viri doctissimi vir licet, figuram essentiarum et veritatum dici potest. Atque sic constare putto, quod intellectus DEI non solum sit character et principium cognoscendi veritatum et essentiarum metaphysicarum, verum etiam principium illarum essendi, quod etiam demonstrauimus (§. 35.).

Quod autem sententiam atrinet, quam Vir doctissimus p. 20. amplexus est, quod possibilia seu essentiae metaphysicae rerum in DEI essentia fundentur; illam non nego, quin immo cum nostra confitere posse existimo; si modo huius formulae sensus rite determinetur. Mihi sic videtur: Essentia DEI complectitur omnes realites absolutas in absolute summo complemento. Quidquid igitur in entibus finitis reale est, id omne in essentia DEI continetur. Limites autem, qui essentiis finitorum adhaerent, essentiae DEI non insunt, quippe quae est ilimitata prorsus. Hinc sensus formulae verus saltim hic esse potest: „essentiae rerum metaphysicae continentur „ in essentia DEI, quatenus reales sunt; atque hoc modo „ omne, quidquid in possibilibus reale est, fundatur in „ essentia DEI, immo in ipsa continetur, prouti optimo se expressit acutissimus Leibnitius loco, quem §. 36. „ Schol. adduxi. Sed quia limites, qui essentiis finitorum adhaerent, non insunt in ipsa DEI essentia, sed ab intellectu DEI cognoscuntur, dum ille possibilis realitatum combinationes intuitus ex se cognoscit (per dem. §. 38.); hinc essentiae ut limitatae non

46 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

„continentur in DEI essentia, sed in intellectu DEI, qui tantum format et excogitat.“ Interim, quia intellectus DEO essentialis est; hinc et sano sensu iterum dici potest, essentias rerum metaphysicas fundari in DEI essentia, seu esse DEO essentiales, quod ipsi demonstrauimus (§. 37. prop. 4.). Atque tunc sensus formulae hic est: *essentiae rerum habent rationem in essentia DEI, et ut illimitatae continentur etiam in eadem: ut limitatae quoque rationem in essentia DEI habent, quia intellectus DEO essentialis est, esse suum autem habent in intellectu DEI, in quo continentur.*

§. 41.

Essentiae metaphysicae neque a potentia DEI,

Essentiae rerum metaphysicae non dependent a potentia DEI. Etenim potentia DEI est possiblitas ea ad actualitatem perducendi, quae sunt intrinsece possibilia (Vid. Per - Ill. L. B. de Wolff P. I. Theol. nat. §. 222.). Hinc ex potentia DEI saltim id concipitur, quod intrinsecus possibilia ad actum deduci possint h. e. existibilitas illorum, possiblitas interna autem praesupponitur. Iam essentiae rerum metaphysicae consistunt in possibiliteate interna (§. 15.); hinc essentiae metaphysicae rerum presupponuntur iamiam, si quid per potentiam DEI ad actualitatem perducendum cogitatur. Ergo essentiae metaphysicae non continent aliquid in se, cuius ratio esset in potentia DEI (§. Schol.); consequenter non dependent a potentia DEI (§. 36.).

SCHOL. Ex potentia DEI concipitur quidem sufficientia virium ad aliquid actuandum; adeoque possiblitas *externa* rerum, seu existibilitas illarum, non autem possiblitas *interna*, in qua tamen essentia metaphysica consistit (§. 15.). Hinc recte iudicat Cel. Canzius l. c. pag. 48. illos, qui possibilia secundi ordinis a potentia deducunt, internam possibiliteatem cum externa confundere.

§. 42.

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 47

§. 42.
Essentiae rerum metaphysicae non dependent a sapientia. neque a sa-
pientia DEI. Sapientia enim est scientia fini legitimo apta me-
dia subordinandi. Ergo supponit fines possibiles, media
possibilia ad finem consequendum, et ordinabilitatem me-
diorum ad finem consequendum; ipsa autem media, iam-
iam possibilia, finibus, iamiam possibilibus, ita actu sub-
ordinat, prouti subordinabilia erant. Ergo non facit
possibilitatem internam neque finium, neque mediorum,
neque illorum, quae obtento fine existentiam nanciscun-
tur, sed eandem presupponit. Quam ob rem, cum es-
sentiae rerum metaphysicae in possibilitate interna consi-
stant (§. 15.): manifestum est, essentias rerum metaphy-
sicas plane non a sapientia, adeoque nec a diuina depen-
dere posse (§. 36.).

SCHOL. Eadem propositio etiam exinde probari poterat, quia
sapientia intellectum supponit, qui fines et media ei illorum or-
dinabilitatem cognoscit, atque potentiam, qua actu ita subor-
dinari possunt media finibus, prouti subordinabilia cognoscun-
tur per intellectum. In intellectu diuino autem sunt iamiam es-
sentiae rerum metaphysicae et ab eo dependent (§. 36.). Quare
cum sapientia intellectum supponat, pater quoque, essentias me-
taphysicas rerum non posse a sapientia DEI deriuari. Accipe
etiam tertiam demonstrationem: essentiae rerum sunt media,
quibus fines suos consequitur summum Numen (Vid. Per Ill. L.
B. de Wolff in compend. metaph. §. 1032.). Sapientia autem
non facit media, sed saltim finibus subordinat. Ergo sapientia
DEI non facit essentias metaphysicas rerum, adeoque nec ab
illa deriuari possunt.

§. 43.

Essentiae rerum metaphysicae non dependent a voluntate neque a vo-
luntate DEI, seu non sunt arbitrariae. Poteſt haec propositio nunc DEI
pluribus modis demonstrari. Sufficiet quasdam ex plu- dependent.
ribus adducere demonstrationes:

i) Es.

48 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

- 1) Essentiae rerum metaphysicae ultimato dependent ab intellectu divino (§. 36.). Voluntas DEI autem non est intellectus illius, sed intellectus prior est (nimurum in signo rationis), quam voluntas, quod nemo non concedit: ergo essentiae rerum metaphysicae non dependent a voluntate DEI.
- 2) Essentiae metaphysicae sunt absolute necessariae (§. 17. 18.): arbitrarium autem et hinc a voluntate dependens, non est absolute necessarium, sed physice contingens (p. def. arbitrii): ergo essentiae rerum metaphysicae non sunt arbitriae, seu non dependent a voluntate DEI.
- 3) Voluntas DEI ex pluribus possibilibus eligit optimum, quia est optima (p. Theol. nat.): ergo prae-supponit possibilitatem internam. Iam possibilitas interna est essentia entis metaphysica (§. 15.). Ergo voluntas DEI prae-supponit essentias metaphysicas; consequenter illae non dependent a voluntate DEI.
- 4) Essentiae rerum metaphysicae consistunt in possibiliitate interna entis (§. 15.); adeoque in non-repugnancia idearum (§. 16. Cor.). Iam pone, essentias rerum metaphysicas a voluntate DEI pendere, non repugnabunt sibi ideae essentialium, vel quia DEVS non voluit, vel quia non potuit velle, quae sibi mutuo repugnant. Si prius ponas; nimurum a voluntate DEI esse, quod sibi mutuo non repugnant essentialia, repugnatura sibi inuicem, si modo DEO aliter visum fuisset; tunc essentialia in se spectata et repugnare sibi inuicem, et non repugnare possunt: ergo possibile esset, vt idem simul sit et non sit, quod nemo concedere potest, nisi insanire velit. Immo, si concederet, se ipsum hoc pacto refutaret.
Possent

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 49

Possent enim tunc essentiae metaphysicae a voluntate DEI dependere, et non dependere. Sin ponas posterius, nimirum quod sibi non repugnant essentialia, quia DEVS non potuit hoc velle, tunc admittendum est, essentias rerum metaphysicas esse, antequam DEVS ea velit. Ergo admittenda sunt in DEO, antequam in DEO dantur, quod iterum absurdum. Ergo non sunt tales, quia DEVS esse vult tales; consequenter iterum non dependent a voluntate DEI, seu non sunt arbitrariae.

SCHOL. 1. Non opus est, ut plura coaceruentur adhuc argumenta, ad refellendum sententiam de essentiis metaphysicis, seu ideis rerum arbitrariorum, cum adducta abunde absurditatem huius sententiae manifestetur. Non defunt interim plura argumenta apagogica. Horrenda enim ex hoc dogmate sequuntur consecutaria. Si essentiae rerum metaphysicae essent voluntariae, etiam mala metaphysica, quae essentiis finitorum adhaerent, a voluntate DEI dependent: ergo DEVS esset auctor malorum metaphysicorum; atque, quoniam mala physica et moralia ultimato a malis metaphysicis dependent, DEVS foret omnium malorum auctor. Non possent igitur entibus rationalibus malae actiones imputari moraliter; cum non a voluntate ipsorum, sed DEI deriugandae ultimato essent. Porro potuissest DEVS plura creaturis conferre bona, si modo voluissest: ergo non tot bona illis conculit, quot conferre potuit; consequenter non esset benignissimus. Sublata summa DEI benignitate tollitur primarium fiduciae in DEVM ponenda fundamentum, et sic porro. Abunde itaque pater, periculosissimam esse hanc de essentiis metaphysicis arbitrariorum sententiam. Pater simul, quantus sit dogmatis de necessitate essentiarum metaphysicarum (§. 17. 18.) demonstrati usus. Beneficio illius error de essentiis arbitrariorum manifestus redditur.

SCHOL. 2. Quamquam dogma de essentiis rerum metaphysicis arbitrariorum periculosissimum, DEO que maxime indignum sit, fa-

G

cilis

50 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

cilis tamen fuit in idem prolapsio. Ex quo enim Scholasticorum quidam necessitatem essentiarum eo vsque extenderant, vt illas profus a D E O independentes reputarent, hancque sententiam D E O indignam esse inuenierat *Cartesius*; de meliore, D E O que magis digna, ipsi cogitandum erat. Adoptabat itaque oppositam sententiam, fontem veritatum aeternarum et essentiarum in D E O quaesiturus. Inuenierat etiam fontem in intellectu D E I rectissime. Vid. Vol. i. Epist. 112, vbi: *Quantum ad veritates aeternas, dico iterum, illas esse tantum veras aut possibles, quia D E V sillas veras et possibles cognoscit: Non autem contra, veras a D E O cognoscit, quasi independentes ab illo sint verae. Haec tenus bene! Sed quia Cartesius voluntati deinde actus ad affirmationis, negationis et iudicij adscriptis, hocque pacte intellectum cum voluntate confundit: hiac veritates cognitioni subiectas subdit voluntati, et, quoniam haec libera est, libertati ita enim pergit l. c. epist. 112. Et si homines verborum suorum sensum probe intelligent, utique non possent sine blasphemia dicere veritatem cuiuspiam rei priorem esse cognitione D E I: in D E O enim unum idemque est velle et cognoscere: Ita ut hoc ipso, quod aliquid velit, ideo cognoscatur, et ideo tantum talis res est vera. Sane Cartesius non inuidet in monstrorum hancce sententiam, nisi voluntatem cum iudicio et hinc cum intellectu commiscueret. Hoc autem semel admisso errore ad alterum pronissimus esse debuit, independentiam veritatum et essentiarum a D E O confutatus. Hinc est, quod in Responsionibus sextis aduersus *Mersennum* §. 6. et 8. contendat: *D E V Mindifferenterem fuisse, non tantum ad omnes res extra se, sed et ad omnium rerum ideas, adeo ut nullum bonum, nullum verum, nibil quod credendum, faciendum vel omitendum sit, singi posse, cuius idea in intellectu diuino prius fuerit, quam eius voluntas se determinauit ad efficiendum videlicet.* Petrus Poiretus, vir doctus et magno ingenio praeditus, eandem sententiam deinde acriter defendit, uberior expositus, atque demonstrare adlaborauit variis in scriptis. Praincipue in cogitationibus rationalibus de D E O, *Anima et Mato* Lib. II c. 9. 10. it. in tractatu de eruditione solida, superficiaria et falsa Lib. III. § 24. sqq. et passim alibi. Num in hac sententia praeceuntem Cartesium sequuntur?*

tus

tus sit Petrus Poiretus, illud quidem asseuerate non dixerim. Vt enim in scriptis Cartesii veratissimus fuerit, auctoritate Cartesii tamen non passus est semoueri, vt coeca fide omnia illius placita amplectatur. Ipse etiam non solum expresse id a se amolitur in flagore libelli: *Vera et cognita omnium prima passim*; verum etiam id aliunde confat, praeprimis extra statu de eruditione solidâ, *superficieria et falsa* atque huic adiunctis *Apologeticis*; vbi multis in rebus a Cartesio dissentit, eundemque refutare adlaborat, quo ipso odium Cartesiano um sibi concitauerat. Nimirum autem hic prolixum foret, ea omnia recensere, quibus Petrus Poiretus sententiam suam confirmare voluit. Sufficiente nobis demonstrationes §. ipso adductae, quibus falsitatem sententiae huius manifestauimus. Plura qui desiderat, audeat b. Bitzingerum in dilucidationibus philosoph. §. 21 — 32, vbi sententiam atque argumenta Poireti prolixe recenseret, et Abram. Pungeleri, (Theol. et histor. sacr. Prof. in Academia Herbornensi) dissertationem de rerum possibilium iudeis in DE O, opposita Cl. Poiretto, An. 1712, in qua non solum plura argumenta pro nostra sententia inveniuntur, verum etiam cap. 3, obiectiones XVIII. Poireti ordine refutantur, et in subiuncta Mantissa etiam ad ea respondetur, quae in Libr. de eruditione solidâ etc, obiecit Poiretus.

§. 44.

Hactenus de origine essentiarum metaphysicarum differimus. Restat altera quaestio, de origine essentiatum physicarum (§. 27.), sed brevius expedienda. Possimus et hic ortum analyticum a metaphysico distinguere. Cum autem de analytico iam supra (§. 28.) sufficienter egimus; saltim ortum metaphysicum essentiarum physicarum adhuc inquirere nos oportet.

Transitus ad
ortum es-
sen-
tiarum physi-
carum.

§. 45.

Ortus metaphysicus essentiarum physicarum causalis esse debet. Ortus essentiarum physicarum causarum causa,

G 2

ratio salis,

52 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ratio determinans essentiarum physicarum, si qua datur; ratio existentiae seu fiendi esse debet (§. 5. Schol.). Si itaque ex alio oriri ponantur metaphysice (vid. §. 24.), rationem fiendi in alio habere debent. Iam quod ita ex altero oritur, ut in illo rationem fiendi habeat, id caussaliter oritur (§. 25.); ergo ortus metaphysicus essentiarum physicarum, si quis datur, caussalis esse debet.

§. 46.

a DEO, *Essentiae physicae verum caussaliter oriuntur a DEO.* Etenim essentia physica est existentia entium (§. 15.): Entia autem finita non habent rationem existentiae in se ipsis, sed, tanquam entia secundi ordinis, in ente primi ordinis (per vulg. Ontol.). Quam ob rem, cum DEVS sit ens primi ordinis (§. 20. Schol.): ratio existentiae finitorum in DEO querenda est; consequenter essentiae physicae illorum oriuntur a DEO (§. 24.), et quidem caussaliter (§. 25.).

§. 47.

Essentiae physicae rerum caussaliter oriuntur a voluntate DEI. Oriuntur enim caussaliter a DEO (§. 46.): ergo a DEO ad existentiam deducuntur (§. 25.). Iam quidquid praeter DEVM existit, id omne deprehenditur in hoc mundo existente, qui optimus est. Hunc mundum autem optimum ex pluribus possibilibus elegit (p. Theol. nat.), et hinc voluit DEVS (p. def.). Ergo existit hic mundus, quis DEVS illum prae reliquis omnibus voluit; adeoque existentia illius a voluntate DEI dependet caussaliter (§. 25.). Cum igitur quidquid praeter DEVM existit, ad hunc mundum existentem pertineat; patet omnia entia existentia finita caussaliter dependere a voluntate DEI: consequenter essentiae physicae entium caussaliter a voluntate DEI oriuntur (§. 15. 25.).


COR.

DE ORIGINE ESSENTIARVM. 53

COR. Patet itaque omnia entia in vniuersum a D E O pendere,
qui illorum fons est. Atamen non eodem modo. Possibilia
enim intrinseca ab intellectu (§. 36.), possibilia extrinseca seu
existibilitas possibilium a potentia (§. 41.), existentia autem il-
lorum a voluntate D E I dependet. Vid. Per Ill. L. B. de *Wolff*
P. II. Theol. nat. §. 350. et *Leibnitius* in Theodicea §. 7.

SCHOL. Satisfecimus itaque nunc omnibus quaestioneis, quae
de origine essentiarum tam metaphysicarum quam physicarum
moueri poterant (§. 27.). Num felici successu id a nobis fa-
cium sit, aequis lectoribus iudicandum relinquimus, quos et-
iam, si forsitan aliquo nos defecisse inuenierint, (quid enim
homini facilius est, praeprimis in doctrina difficulti?) rogata-
mus, ut non voluntati sed humanitati id tribuant. Examini-
ment, qui sunt Philosophi, omnia; retineant, quae bona sunt;
caetera reliquant, me non repugnante.

T A N T V M.



G 3

PRAE-

PRAE-NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
RESPONDENTI SVO
S. P. D.
P R A E S E S.

Altera vice confundis cathedram, pro qua haud ita pri-
dem stetisti, cum disquisitionem, an et quatenus vo-
luntas hominū possit cogi? defenderes male. Iam
arduae doctrinae de origine essentiarum defensionem suscipiā,
quae non solum cum pluribus doctrinae sanctioris articulis co-
haeret, verum etiam fundamentum omnium scientiarum dici
potest merito. Ex aliisfimis autem ob id ipsum Metaphysicae
principiis deducenda est; quae, cum non cuius sint ad pala-
tum, mirandum plane non est, si inutile negotium gerere il-
lis videberis, qui principia haec vel prorsus ignorant, vel su-
perficiaria erundem cognitione saltim instrudi, ea fugiant at-
que spernum omnia, quae profundiores meditationes postulant.
Sed non est, quod horum iudicia metuas, cum non desin alii,
qui veritatum metaphysicarum necessitatem pariter ac vilita-
tem perspiciunt, solidam, non vulgarem reliquarum disciplina-
rum cognitionem querentes. Hi ex facili Tibi concedent, the-
ma, quod ad disputandum proponis, utique ulteriore disquisi-
tione opus habuissē, cum bucusque Philosophi de origine essentia-
rum discent, atque in varias sententias abeant. Ego vero
insigniter laetor, quod tantos in scientiis philosophicis progressus
feceris, deque iisdem ex animo Tibi gratulator. Secundet sum-
mum Numen, vii bacchus, ita et imposterum conatus Tuos,
quo rem Tuam rectissime atque felicissime agere queas. Ita va-
le, mihique faue. Dedi Halae ad Salam, in Academia Fride-
riciana d. XXVIII. Junii ccccccii.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

GEORGIVS SAMVEL MADIHN

O P P O N E N S.

Scientiam rationum unicum illud esse, quod eruditum a vul-
gi fece satis distinguit, nemo nisi barum cognitione pe-
nitus destitutus diffiteret. Quam ob rem eos vberiori
laudis ac praecoriorum concentu concomitandos iure veluti meo
statuo, qui Philosophiae culturae profundiori ratione ac vulgo
obvia inferiunt, felicissimosque merito agnosco, qui studiorum
moderatoribus iis vtuntur, quorum in viribus profecto si quid vi-
deo positum est abscondita et fere imperitia acriori mentis truti-
na explanare, scientisque tandem summam profunditatem con-
ciliare. Virumque de TE, VIR PRAENOBILISSIME atque
DOCTISSIME, praedicari posse abunde convictus sum. Phi-
losophiae enim statim ab initio studii academicici insigni quadam
ardore operam dedisti et in ea perdiscenda pariter ac in fuc-
cum et sanguinem verienda Tibi elegisti Praceptorum vere phi-
losophum, cuius etiam in acroasisbus tantos eiusdem fecisti profe-
tus,

Eius, ut nunc iterum cathedram eandem, ex qua haud ita pri-
dem iam omnium applausu differueristi, eodem PRAESIDE con-
summatissimo multa cum eruditione instructus gloriose conscede-
re queas. Thema, quod hunc in finem enucleandum Tibi sum-
seris, abstrusus quidem, dignissimum vero, quod limam quandam
experiretur tanto cum acumine explanatum sifis, ut caliginem,
quae hanc diffusam materiam vexabat, felicissimo arsu dispe-
ris. Gratulor itaque Tibi specimen hoc omnibus suis numeris
prosperus aksolutum, et quam mibi ea, quae Tibi propria est,
humanitatem in ipso conflcta opponentis partes demandasti, me
potius eruditionis Tuae testem, quam verum dissidentem fu-
turum, optime compertum ipse habeo, measque pertenues vires
disquisitionis tantae veritatis parum sufficere. Vnicum tantum
addo, vota scilicet ardentissima pro Tua incolumitate: Ut
igitur semper fortunatissimo rerum statu, meque amore TUO
egregio amplecti nunquam desist. D. in Regia Fridericiana,
d. XXVIII. Ian. MDCCCLII.




1951
1952
1953
1954

94 A 7362



St.





DISSE R TAT I O P H I L O S O P H I C A
DE
ORIGINE ESSENTIARVM
QVAM
P R A E S I D E
DN. CHRISTIANO WEBERO
PHILOSOPHIAE PROFESSORE EXTRAORDINARIO
D. IVNII A. MDCCCLI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
S V B M I T T I T
CHRISTIANVS GODOFREDVS BRETH
SCHMIDEBERGA - SILESIUS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

